C 225.20.15

Harvard College Library

BOUGHT FROM THE
ANDREW PRESTON PEABODY
FUND

BEQUEATHED BY
CAROLINE EUSTIS PEABODY
OF CAMBRIDGE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C 225.20.15.

bind

WESTPHALIA

SANCTA PIA BEATA

SIVE

VITAE EORUM, QUI SANCTITATE SUA PIISQUE EXEMPLIS WESTPHALIAM ILLUSTRARUNT.

CONSCRIPSIT

P. MICHAEL STRUNCK,
SOC. JESU SACERDOS.

RECOGNOVIT ET AUXIT PRIMUMQUE EDIDIT

GUILELMUS ENGELBERTUS GIEFERS,
PHIL. DOCTOR.

VOLUMEN II.

PADERBORNAE,
SUMPTIBUS SCHOENINGHII.

MDCCCLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

WESTPHALIA

SANCTA PIA BEATA

SIVE

VITAE EORUM, QUI SANCTITATE SUA PIISQUE EXEMPLIS WESTPHALIAM ILLUSTRARUNT.

CONSCRIPSIT

P. MICHAEL STRUNCK,
SOC. JESU SACERDOS.

RECOGNOVIT ET AUXIT PRIMUMQUE EDIDIT

GUILELMUS ENGELBERTUS GIEFERS
PHIL. DOCTOR.

VOLUMEN II.

PADERBORNAE.
SUMPTIBUS SCHOENINGHII.

MDCCCLV.

Digitized by Google

C 225.20.15

Ex typographia C. E. Elberti, Lipsiae.

Digitized by Google

REVERENDISSIMIS

WESTPHALIAE EPISCOPIS

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

FRANCISCO DREPPER

EPISCOPO PADERBORNENSI

ET

JOANNI GEORGIO MUELLER

EPISCOPO MONASTERIENSI

SUMMA QUA PAR EST OBSERVANTIA AC REVERENTIA

HANCCE WESTPHALIAM SANCTAM

ESSE SACRAM VELIT

EDITOR.

Digitized by Google

C 225.20.15

Digitized by Google

Prooemium.

Cum in compluribus actis diurnis magis benevole quam speraveram, viri docti de primo Westfaliae sanctae volumine iudicassent, alterum in lucem edere non dubitavi, in quo recognoscendo idem, quod in primo, secutus sum. Attamen multo plus studii atque operae in hoc volumine recensendo, quam in illo, consumendum erat, cum non solum plurimae vitae nondum satis perpolitae neque prelo paratae, sed etiam complures imperfectae, aliae silentio praetermissae essent. Quae igitur fecerim, ut ea praestarem, quaecunque operi Strunckiano deesse videbantur, ex commentariis praeviis, quae singulis vitis praemissa sunt, facile intelligitur. Vitas virorum venerabilium, quas ceteris adiiciendas esse existimabam, ne primo volumine hocce esset multo minus, composuit Ioannes Cloppenburgius, exeunte saeculo decimo sexto societatis Jesu sacerdos.

Tertium volumen Westfaliae sanctae duo vetustissima rerum Paderbornensium monumenta complectetur, historiam translationis reliquiarum s. Liborii et vitam s. Meinwerci, commentario perpetuo illustratam.

Paderbornae, Cal. Maiis MDCCCLV.

G. E. Giefers.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

S. Hildegarius,

archiepiscopus Coloniensis.

Refertur cum titulo sancti a Gelenio de Col. Agrip. magn. pag. 92, ab Auberto Miraeo et Laurentio Beyerlinkio in catalogis episcoporum Coloniensium. Cum titulo beati a Gelenio in Fastis ad diem XXVIII. Junii, ubi sic scribit: ***Apud basilicam s. Gereonis, in sacello s. Helenae, beati Hildeberti sive Hildegeri archiepiscopi,*** et ad diem VIII. Augusti: ***Eadem in basilica s. Gereonis, b. Hildegari, episcopi Coloniensis et martyris.*** Schatenius in historia Westfaliae p. 404 illum ait sanctis adscriptum esse, quippe qui tanquam in bello sacro inter sacra munia a barbaris interfectus esset. De vita eius perpauca tantum memoriae sunt tradita ab Eginhardo aliisque, quae infra afferemus.

S. Hildegarius sub Carolo Martello, Austrasiae duce, eiusque filio Pipino, postea Francorum rege, Coloniensis erat episcopus. Qui cum non solum suae dioecesis, sed etiam aliarum regionum saluti consulere cuperet, nihil magis in votis habuit, quam ut vicinae Westfaliae incolae, dispulsa tandem gentilitatis nebula, veritatis catholicae lumen aspicerent. Succurrebat huic desiderio Pipinus rex. Hic enim anno DCCLIII. *cum magno exercitu Saxoniam ingressus est,* uti refert Eginhardus, *et quamvis Saxones ei obstinatissime resisterent, pulsi tamen cesserunt, et ipse usque ad locum, qui dicitur Rimi* [1]*), qui est super fluvium Wisuram, accessit. In qua expeditione Hildigarius archiepiscopus interfectus est, in monte, qui dici-*

[1]) Hodie *Rehme* vicus aquis salsis insignis.

Digitized by Google

tur Juburg [1]). Inde patet, Hildegarium illi glorioso virorum agmini comitem se adiunxisse, ut eidem inter labores Martios ab obsequiis sacris esset.

Hisce tantum de eo relatis fides habenda est. Plura narrantur de eius morte in vita s. Suiberti, quam a Marcellino scriptam esse falso nonnulli contenderunt; quapropter ea quippe nulla fide digna silentio praetereunda duximus. Eginhardi narratio confirmatur annalibus Laurissensibus, in quibus ad eundem annum haec relata invenies: *Pippinus rex in Saxoniam iter fecit et Hildegarius episcopus occisus est a Saxonibus in castro, quod dicitur Juburg; et tamen Pippinus victor extitit, et pervenit usque ad locum, qui dicitur Rimie.* Eum vero Coloniensem fuisse archiepiscopum, testantur Eginhardi annales Fuldenses hisce verbis: *In qua expeditione Hildigarius Coloniensis episcopus a Saxonibus interimitur.*

Corpus interfecti s. episcopi Coloniam a Francis transportatum, in sacello s. Helenae intra vestibulum ecclesiae collegiatae s. Gereonis sepultum est, ubi, ut refert Gelenius [2]), monumentum Hildegarii sive Hildeberti etiamnunc visitur cum hac inscriptione:

Hildebert meritis, qui fulget episcopus almis
Assumtus coelo hoc iacet in tumulo.
Obiit anno incarn. domini DCCLVII. IV. Cal. Julii [3]).

---

[1]) Iburgum situm est in septentrionali parte saltus Teutoburgiensis Monasterium inter et Osnabrugam.

[2]) *Gelenius*, de Coloniae Agrippinensis magnitudine p. 270.

[3]) Legendum esse DCCLIII. docent Eginhardus et Annales supra memorati.

Digitized by Google

II.

S. Suibertus,

Frisionum episcopus Saxonumque apostolus.

Refertur cum titulo sancti passim in martyrologiis plurimis, quod docent continuatores Bollandi ad diem primum Martii N. 59. Vita eius quaedam exstat, quam a s. Marcellino esse scriptam multi opinati sunt. Sed vel nentiquam ab eo conscripta est, vel saltem ab aliquo posteriore calamo tot erroribus interspersa, ut ei ne minima quidem fides tribui possit, quod fusius ostendunt continuatores Bollandi l. c. Unde reiectis iis, quae ex hoc incerto fonte ab aliis passim deprompta sunt, ea potissimum sequemur, quae de illo scripsit Beda venerabilis l. V., c. 10 sq., qui haud ita longe post eum vixit. Iis, quae a Beda sunt tradita, adiiciemus pauca, quae a probatissimis auctoribus sufficienter confirmantur. Ex his autem certiora sunt haecce:

1. Ab Egberto presbytero duodecim viros apostolicos, in his s. Willibrordum, anno DCXCI. in Frisiam ex Hibernia missos esse, qui ibi doctrinam christianam praedicarent, asserit Beda venerabilis l. c. S. Suibertus autem fuit unus ex his duodecim a. s. Egberto missis, id quod testatur Beda l. V. c. 12., ubi postquam illos duodecim missos esse retulit, istius missionis cursum ita pergit: *Fratres, qui erant in Frisia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus et mansuetum corde Suithbertum, qui eis ordinaretur antistes.*

2. Etiam s. Adalbertus diaconus fuit in isto virorum apostolicorum numero, uti constat ex eius vita ad d. XXV. Maii relata a Papebrochio, ubi de s. Egberto presbytero huius apostolicae missionis promotore ita scribitur: *Sed vir prudentissimus, optime sciens, de dei misericordia nunquam desperandum esse, alios ministros ad eiusdem praedicationis subrogavit officium, virum scilicet apostolicae gratiae Willibrordum, clarissimumque Christi confessorem Adalbertum cum decem aliis eodem fidei calore ferventibus.* Ea vero, quae de aliis s. Suiberti sociis Pseudo-Marcellinus retulit, partim incerta sunt, partim falsa, de qua re continuatores Bollandi l. c. copiosius disseruerunt.

Digitized by Google

3. S. Willibrordum a Sergio I. pontifice Romae consecrationem accepisse episcopalem anno DCXCVI., praeter Bedam etiam testatur scriptum aliquod forsan autographum ipsius Willibrordi, a Bollando (Tom. I. Jan. praef.) editum, quod haec habet: *In nomine Domini Clemens Willibrordus anno sexcentesimo nonagesimo ab incarnatione Christi veniebat ultra mare in Francia: et in dei nomine anno sexcentesimo nonagesimo quinto ab incarnatione domini, quamvis indignus fuit ordinatus in Roma episcopus ab apostolico viro domino Sergio papa: nunc vero in dei nomine agens annum septingentesimum vigesimum octavum ab incarnatione domini nostri Jesu Christi in dei nomine feliciter.* Certe verba haec: *nunc vero in dei nomine agens annum*, satis indicant, id Willibrordo vivente scriptum esse; et illa, *quamvis indignus*, satis probant ab ipsomet id scriptum esse de se ipso.

4. S. Suibertus a s. Wilfrido episcopo sua tunc sede pulso ordinatus est in Britannia anno DCXCIII. et biennio quidem aut triennio ante s. Willibrordum. Id enim facile colligitur ex hisce Bedae verbis: *quem Britanniam destinatum ordinavit reverendissimus Wilfridus episcopus, qui tunc forte patria pulsus in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat episcopum Cantia* (i. e. Cantuaria:) *defuncto quidem Theodoro* (episcopo Cantuariensi), *sed necdum Berchtvaldo successore eius, qui trans mare ordinandus ierat, ad sedem episcopatus sui reverso.* Si vero s. Suibertus ordinatus est defuncto quidem Theodoro, Cantuariensi episcopo, sed necdum Berchtvaldo eius successore ad sedem episcopatus sui reverso, necesse est, ordinatum esse anno DCXCIII. Theodorum enim, Cantuariensem archiepiscopum defunctum esse anno DCXC. scribit Beda l. c. 8. et successor eius Berchtvaldus vel Brithwaldus, quamvis electus sit anno DCXIII. primo die Julii, in Galliam tamen obtinendae consecrationis causa non prius ivit, nisi anno DCXCIII., quo ibidem a Godwino archiepiscopo consecratus est XXIX. Junii die et sedit in sede sua pridie Calendas Sept., quod idem Beda testatur.

5. S. Suibertus accepta episcopali inauguratione saltem post annos paucos se contulit ad Boructuarios praeceptis doctrinae christianae instruendos. Beda enim l. c. scribit: *Suitbertus accepto episcopatu de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum secessit et multos eorum praedicando ad viam veritatis perduxit.* Boructuarii autem illo tempore habitabant in meridionali Luppiae ripa prope Rhenum, ita ut eas regiones complecterentur, quae postea vocabantur ducatus Westfaliae et Montensis atque Marca. Ceterum s. Suibertum etiam in Westfalia evangelii praedicatorem fuisse, fert antiquissima traditio in episcopatu Monasteriensi, satisque constat ex iis, quae s. Radbodus, episcopus Ultraiectinus, anno DCCCCXVII. defunctus, de s. Suiberto scripsit in carmine alle-

Digitized by Google

gorico, quod de eius vita et gestis concinnavit, ubi praeter alia etiam haec de eo cecinit:

Saxonicos adiit cultor memorabilis agros,
Ut sereret Christi semen amoris ibi.

6. Quod denique attinet annum, quo s. Suibertus mortuus sit, in epistola s. Ludgeri ad Rixfridum, episcopum Ultraiectinum, de canonisatione s. Suiberti data, statim ab initio dicitur: ***Annum a nativitate domini DCCXLVIII. fuisse trigesimum tertium post celebrem transitum sanctissimi Suiberti, gloriosi episcopi et confessoris.*** Inde sequitur, s. Suibertum obiisse anno DCCXV.; sed non satis constat, illam epistolam non esse suppositam, quapropter annales Petavianos potius sequamur, in quibus ad annum DCCXIII. *depositio Suitberti episcopi* memorata est. (Pertz, Mon. hist. Germ. I. p. 7.). Haec praecipienda habuimus; nunc ad rem ipsam adgrediamur.

Aetatem Caroli M., eiusdemque in convertendis ad Christi doctrinam Boructuariis Saxonibusque indefessam sollicitudinem iam pridem praecucurrit s. Suibertus, natione Britannus et illarum gentium primus apostolus. Vitae mortalis lucem aspicere coepit circa annum Christi DCXLVII. et statim a prima iuventute sua tam praeclara dedit futurae sanctitatis specimina, ut ii, quibuscum frequentior huic usus et consuetudo erat, admiratione pleni dicerent: *Certe, si puero isti dominus concesserit vitam, sanctus erit.* Inde humanioribus primum literis, mox etiam sacratioribus disciplinis informatus, per varios annos monasticae conversationis experimenta cepit. In quibus cum pro solertia atque sedulitate sua praeclarissime versatus esset, tandem divino consilio in Hiberniam delatus incidit in s. Egbertum presbyterum, itidem natione Britannum et omni virtutum ac devotionis genere excultissimum.

Ardebat hic singulari desiderio perducendi ad fidem antiquos Saxones Frisiosque, a quibus progenitores suos multasque Britanniae gentes originem suam deduxisse noverat. Iamque adscitis eum in finem praestantissimis quibusdam sociis mari et undis se commiserat, cum subito coorta tempestas non sine detrimento rerum complurium eum in littus repulit, simulque ipsum docuit, quod iam ante oraculo divino a suorum sodalium aliquo semel atque iterum praemonitus erat, dei

Digitized by Google

esse voluntatem, ut alii in Frisiam transiicerent, ipse vero velut ad sarcinas domi remaneret et interim in reformando s. Columbae monasterio operam suam poneret.

Unus tamen ex omni sociorum numero, cui Wicbertus nomen erat, nihil hisce rebus adversis territus, iterum conscendit navem, postquam tempestas ista nonnihil exsaeviit, secundoque vento in Frisiam delatus, coepit eius regionis incolas ad doctrinam christianam instituere. Animum quoque Rathbodi principis iteratis commonitionibus pertentabat, ut, si quo modo suae suorumque saluti consultum vellet, doctrinam Christi amplecteretur. Sed cum biennio praeterito in plebe barbara nihil ab se effectum esse, nec nisi surdis auribus cantari intelligeret, abiecta proficiendi spe, in Hiberniam reversus est maluitque ibidem in priore sua tranquillitate fideliter deo inservire, quam in loco tam infructuoso sementem nihil profuturam spargere.

Ea res quamquam vehementer conturbavit s. Egbertum salutis alienae cupidissimum, non tamen ita prosternere aut labefactare potuit infractam eius constantiam in sacro illo proposito, quin continuo iterum alia consilia caperet iterumque novos operariorum delectus faceret, qui pedem in obstinato solo firmiorem figerent, et omni virium nisu labores intermissos ardentius retentarent. Erant hi numero totidem, quot olim Christi apostoli, interque eos praeter b. Adalbertum diaconum praecipue eminebant s. Willibrordus, quem primum ecclesiae suae episcopum recensent Ultraiectenses, et s. Suibertus, de quo nobis praecipue hoc loco dicendum est, omnes ad amussim sancti, industrii, laboriosi, et ad quaevis aspera pro deo perferenda diuturnis exercitationibus iam pridem praeparati.

Hos duodecim emissos esse percepimus anno DCXCI. Eodemque tempore cum b. Plectrude coniuge sua felicissime regnabat in Austrasia Pipinus Heristallus, Francorum dux, qui, ut primum peregrina navis tam exoptatos hospites in terram exposuit, eosdem auxilii impetrandi causa ad sese confugientes excepit amantissime; et quia iam nuper, devicto Radbodo, Frisiorum duce, magnam Frisiae antiquae partem ditioni ac potestati suae subiecerat, iussit eos in hanc terram proficisci,

Digitized by Google

postquam iis Ultraiectum, securum stationis locum, designavit et severissime eius regionis incolis mandavit, ne quis apostolico huic coetui, dum verba salutis in plebem spargerent, molestiae quidquam inferret; qui secus facerent, non levia suae obstinationis supplicia persensuros: sed eos, qui ad religionem christianam transgrederentur, magnis beneficiis honoribusque a se exornatum iri.

Valuit plurimum apud infideles barbarorum animos ea principis comminatio: brevique tempore ad evangelium et sacrum baptisma tanti concursus facti sunt, ut iam paulatim necesse esset, etiam episcopi circumspicerentur, qui sacerdotes inungerent et altaria consecrarent, aliaque ad ecclesiam stabiliendam necessaria munia obire possent. Ante alios ad huius officii dignitatem designatus est s. Willibrordus presbyter, vir ob eximia suarum virtutum ornamenta et deo carus, et Pipino duci peracceptus. Sed cum ille vel initio nimis reluctaretur tantae dignitati, vel negotiis aliis ab eodem Pipino duce prope in annum alterum retinendus esse crederetur, placuit in eius locum tantisper subrogare s. Suibertum, virum, quem Beda dicit *modestum moribus, et mansuetum corde*. Neque videtur hic diu multumque tergiversatus esse in eo munere suscipiendo: tum quod curam duntaxat subsidiariam gesturus erat pro s. Willibrordo ad alteriora destinato: tum quod eiusdem ecclesiae necessitates diuturnioris morae impatientes esse, iam pridem noverat. Itaque eodem anno, qui erat Christi sexcentesimus nonagesimus tertius, festinatis itineribus in Britanniam traiecit, ubi non multo post circa mensem Augustum solenni consecratione inauguratus est episcopus a s. Wilfrido, Eboracensi archiepiscopo, ex sua tunc dioecesi pulso, et in Merciorum finibus exulante.

Prima redeunti cura fuit, s. Willibrordi absentis et nondum consecrati vices ita agere, ut populum in parochias segregaret, altaria erigeret, templa dedicaret, suos cuique ecclesiae sacerdotes attribueret, ac denique omnia pro suis viribus procuraret, quae ad episcopalis officii rationes pertinent. Hunc laborem s. Suibertus obiit usque ad annum DCXCVI., vel ut alii volunt, DCXCVII. Quo tempore cum s. Willibrordus ab urbe Roma, ubi iam ante annum a Sergio pontifice episco-

Digitized by Google

palem consecrationem acceperat, ad socios tandem suos in Frisiam se recepisset, Suibertus omnem ecclesiae Ultraiectinae curam ab suis humeris in ipsum transtulit. Neque multo post, ut refert Beda venerabilis, ad Boructuarios, gentem eo usque asperam neque ullo christianae doctrinae rudimento imbutam se convertit. Erat huic genti ad Rhenum inter Luppiam et Sigam fluvios incolenti admodum vicina Westfalorum natio. Ad quam cum subinde evangelicae praedicationis causa excurrisset, amplissimum laboris apostolici campum sibi apertum vidit, nec impares labori fructus. Vix enim Westfali semel atque iterum fervidissimos eius sermones et mixta sermonibus prodigia insuetis auribus oculisque biberant, cum admirabiles animorum motus continuo inter ipsos animadverti coeperunt. Multi ad novum doctorem velut hominem de coelo missum currebant, multi, superstitione posita, salutaribus baptismatis undis frontem submittebant, multi in antiquis erroribus suis vacillantes spem futurae conversionis excitabant. Neque dubium est, si antiquae traditioni fidem non omnino denegamus, quin frequenter agros quoque Monasterienses se intulerit, multaque ibidem docendo et curando perpetraverit.

Ut autem fructus hi secuturo tempore stabiliores essent, neque postea deessent alii, qui deficiente s. Suiberto in messem ab eo coeptam possent succedere; adiit ad Pipinum Heristallum, Francorum ducem, eumque valde precatus est, aliquem ut sibi suisque sociis locum daret, in quo collegium clericorum construere atque sacerdotes ad infidelium culturam securius informare posset. Facile tam devotis precibus indulsit Pipinus; atque ut ea congregatio sub Francorum praesidio ab omni Saxonum incursu magis defensa foret, interpellante b. Plectrude coniuge sua donavit ei praeclaram illam insulam, haud procul Düsseldorpio in Rheno sitam, in qua postea oppidum est conditum, cui nomen *Kaiserswerth*. Id oppidum olim insigne fuit canonicorum collegio, sanctorumque Suiberti ac Willeici reliquiis. Hoc munus viro beato erat maxime opportunum, et ipse locus quasi divino consilio eum in finem designatus. Hinc enim velut e statione tuta sine magna difficultate sacerdotum excursiones in Westfaliam vicinam fieri

et verbi divini semina in accolarum infidelium animos immitti poterant.

Itaque ad exstruendum ibi collegium templumque e vestigio manus admoveri coepta est, et brevi tempore eo iam redactum hoc opus fuit, ut spes esset, Caesaris insulam [1]) id effecturam esse pro salute Saxonum et Boructuariorum, quod Ultraiectum pro salute Frisiorum. Quid autem porro ab eodem sancto pro dei gloria confectum sit, quae miracula et prodigiosae curationes ante et post mortem ab eo sint perpetratae, non satis liquet. Multa quidem eiusmodi consarcinata sunt in eius vita, quam a s. Marcellino scriptam esse parum simile est veri. Quare ea, quae in eadem de s. Suiberti miraculis perhibentur, nec affirmare audemus, nec negare.

Vitam vero, quam sanctus noster integerrimam semper degit, pari sanctitate clausit in Caesaris insula Calendis Martii anno DCCXIII., ibidemque sepultus est in monasterio, quod ipse ibi aedificari fecerat. Ossa eius apud eiusdem regionis incolas habentur in summa veneratione, et anno MDCCXVII., quem post illius obitum esse millesimum arbitrati sunt, permissu Josephi Clementis, archiepiscopi Coloniensis, revisa atque in publica supplicatione magnis cum honoribus circumlata sunt. Partem aliquam sacri huius reliquiarum thesauri, cum ad easdem inspiciendas ab archiepiscopo Ferdinando in Caesaris insulam missus esset anno MDCXVI., obtinuit Ioannes Gelenius, eiusdem archiepiscopi vicarius generalis et metropolitanae Coloniensis canonicus ex quibus genu apud Ubios collocavit super haereditario Geleniorum sepulchro in sacello s. Margaritae; unam vero dorsi vertebram ex consensu et voluntate eiusdem archiepiscopi transmisit collegio societatis Jesu Monasteriensi, ubi in reliquiario templi asservabatur et olim cum officio duplici quotannis religiose colebatur primo die Martii.

Breve encomium huius sancti olim concinnavit s. Radbodo vel Ratbodus, episcopus Ultraiectinus, in sermone habito de s. Suiberto, in quo sub finem ita loquitur: *Erat quoque in pudicitia splendidus, in abstinentia strenuus, in vigiliis sobrius,*

[1]) Vox germanica *werth* significat id, quod latina *insula.*

Digitized by Google

in oratione stabilissimus. In iudicio perorabat aequaliter, in compassione miserabatur humaniter: alienorum non erat appetitor; sed propriorum largissimus erogator: vitium in homine acriter persequebatur; hominem vero familiariter amplectebatur. Sermo eius ut mel dulcis, praedicatio eius admodum delectabilis, convivium eius spiritualibus ferculis plenum, contubernium eius angelicum: postremo totus ille perfectus et totus erat deo plenus. Exstat etiam carmen aliquod, quod idem de s. Suiberto concinnavit, et apud continuatores Bollandi ad diem Martii primum, ubi de vita s. Suiberti agitur, legi potest. Quod cum longius sit, quam ut totum huc transscribere huic operi conveniat, placuit ex eo tantum excerpere pauca, quae sequuntur:

Lux nova Suitbertus Francos lustravit et Anglos,
Quo clarum fidei lumen utrisque daret.
Saxonicos adiit cultor memorabilis agros,
Ut sereret Christi semen amoris ibi.
Nec sterili ac vacuo Frisiorum defuit arvo,
Idque novi fecit germinis esse ferax.
Non erat horrendos, aderant si forte, Cyclopes,
Harpyiasque truces, monstra nec ulla pavens:
Signifer insignis securus quolibet ibat
Iure triumphali laurea serta gerens.
O felix miles! solitus qui cedere nunquam
Marti, sed Martem vincere semper eras!
Quae tibi pro meritis reddimus carmina tantis.
Quasve tibi laudes tibia nostra canet!

Digitized by Google

III.

Sancti Ewaldi,

martyres.

Referuntur cum titulo sanctorum in martyrologio romano ad diem III. Octobris hisce verbis: *Apud antiquos Saxones sanctorum martyrum duorum Ewaldorum, qui, cum essent presbyteri et Christum ibi praedicare coepissent, comprehensi sunt a paganis et occisi: ad quorum corpora multa lux diu apparuit, et ubi essent et cuius essent meriti, declaravit.* Similibus verbis eorum mentionem faciunt Usuardus, Molanus, Rosweydus, Canisius, alii passim in suis martyrologiis ad diem supra dictum. De iisdem agit Beda venerabilis, l. V. c. 11. Rolevinckius l. II. c. 1. et l. III. c. 8. Trithemius l. III. c. 139. Schatenius in historia Westfaliae, Surius ad diem III. Octobris, Gelenius, de Colon. magn. l. III. Synt. c. 4. Ex quibus ut eorum vita accuratius perscribi queat, haec praemittenda videntur:

1. Sancti Ewaldi non fuerunt socii s. Willibrordi, uti perperam existimavit, quisquis sub Marcellini nomine scripsit vitam s. Suiberti, c. 6.; nam Beda venerabilis l. c. postquam retulit, s. Willibrordum cum suis sociis in Frisiam venisse, ibidemque brevi multos ab idololatria ad doctrinam Christi convertisse, statim subdit verba haecce: *Horum secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro aeterna patria exulaverunt, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem praedicando Christo acquirere possent. Erant autem unius ambo, sicut devotionis, sic etiam vocabuli; nam uterque eorum appellabatur Hewaldus: ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie, unus niger, alter albus Hewaldus diceretur, quorum uterque pietate religionis imbutus; sed niger Hewaldus magis sacrarum literarum erat scientia instructus.* Conf. Papebrochius, Acta Sanct. ad primum Martii diem in vita s. Suiberti n. 19. sub finem.

2. In Westfaliam sive, ut Bedae verbis utamur, in provinciam antiquorum Saxonum venerunt plurimis annis ante tempora Caroli

Digitized by Google

Magni, et quidem sub finem saeculi septimi, post annum DCXCI. Nam s. Willibrordum eiusque socios in Frisiam delatos esse anno DCXCI., certissimi auctores perhibent. (Conf. Mabillon, Acta S. B. p. 607). Cum ergo duo Ewaldi post illos venerint, utpote *eorum exempla secuti* teste Beda, necesse est, eos venisse haud ita longe post annum, quem modo significavimus. Eos vero fuisse monachos et quidem Ripensis monasterii in Anglia siti, Trithemius quidem l. c. affirmat, sed infitiandum est, cum neque Beda, sanctis Ewaldis aequalis, neque alii scriptores eos monachos appellent, sed solum presbyteros.

3. Sanctos Ewaldos in Monasteriensem dioecesin appulsos stationem cepisse prope pagum Laërensem, i. e. Laër, haud procul situm ab urbe Steinfurtensi, affirmat Rolevinckius l. II. c. 4, ubi de iisdem ita scribit: *Intrantes autem provinciam venerunt in quendam pagum seu collegium quoddam, nunc Laër dictum, ubi honorabiliter suscepti verbum vitae seminarunt, quod velut in terram cadens, bonum usque in praesens fructum facit salutis. Ibi etiam miraculis floridi, fontem de rupe traxerunt, cuius haec, ut aiunt, causa fuit etc. Campum etiam spatiosum in usum pauperum consecrarunt, qui usque hodie vocatur sacrum pratum, etc. Fertur, quod divinitus crebro plagati sunt, qui arare pratum hoc contra testamentum sanctorum et in praeiudicium pauperculae communitatis attentarunt.*

4. Eosdem in Westfalia pro fide passos esse mortem, praeter Bedam et alios scribit apud Surium ad IV. Decembris scriptor vitae s. Annonis l. I. c. 37. dicens: *Inter hos et duorum Ewaldorum pretiosa corpora de tumulis sublevavit, quos olim in Saxonia* (id est Westfalia) *passos, Rhenus amne refluo Coloniam sepeliendos advexerat.* De loco caedis non satis convenit inter scriptores. Quidam enim putant, caesos esse in pago Laërensi dioecesis Monasteriensis; alii teste Rolevinckio in vicinia dioecesis Bremensis et comitatus Hoyensis. Hos vero errare, inde sequitur, quod venerabilis Beda l. c. et alii tradunt, eorum corpora post necem in Rhenum devoluta, et exinde adverso flumine Coloniam esse delata: quare caedes ista necesse est facta sit ad fluvium aliquem, qui e Westfalia in Rhenum fertur. Unde verisimilius est, quod Schatenius in historia Westf., Rolevinckius, et Gelenius scribunt, caedem illam perpetratam esse in vico Appellerbecke prope Tremoniam sito; *ibi enim,* inquit Rolevinckius, *memoria eorum solennis est, et miracula ibidem facta referuntur.* Verba autem Gelenii haec sunt: *Vixdum fidei facem terris illis intuleranl, cum circa Tremoniam caesi, in loco, qui Mordmühle i. e. morticinii molendinum appellatur, et in Imscharam fluvium proiecti, inde illati Rheno miraculosi adverso amne cum prodigioso lumine Coloniam adnatarunt, ubi a b. Tillmanno, collega ipsorum, divina revelatione agniti, per Pipinum*

Digitized by Google

et b. Plectrudem, clerumque et populum Coloniensem sunt honorifice excepti.

5. Eorum caedem factam esse die tertio Octobris, non solum martyrologia plurima testantur, sed etiam Beda, qui l. c. ita scribit: *Passi sunt autem praefati sacerdotes et famuli Christi quinto Nonarum octobrium die.* Quo anno caesi sint, minus liquet. Verisimile est, id accidisse circa annum DCXCV. (Conf. Erhard, Regesta hist. Westf. I. p. 59).

Primi christianae doctrinae radii in Westfaliam inciderunt eo tempore, quo sancti Ewaldi evangelii proferendi causa ex Anglia in Westfaliam sese traiecerunt, zelo quidem et apostolico fervore pares, sed capillis dispares, a quorum colore dissimili unus albi, et alter Ewaldi nigri cognomen tulit. Hi cum audissent, a sanctis Willibrordo et Suiberto aliisque viris ex Britannia oriundis permultos Frisiae incolas ad doctrinam christianam iam esse adductos, eorum exemplo fortunatisque processibus invitati processerunt in Westfaliam, ut huius quoque regionis incolis evangelicae veritatis lumen accenderent.

Ardebant uterque singulari promovendae dei gloriae zelo et iam ante aeternae salutis divitias sibi comparaturi compluribus annis Hiberniam peragraverant, ut ibidem in locis religiosissimis exquisitae sanctitatis fundamenta ponerent. Uterque presbyteratus ordinem susceperant atque ad semina evangelii spargenda paribus a coelo donis virtutibusque exornati erant; caeterum Album Niger sacrarum literarum scientia non nihil antecellebat. Vasa sacra, altare portatile, et reliquam ad s. missae sacrificium necessariam supellectilem, quocunque iter ferebat, ipsi secum portabant. Sacrificium hostiamque salutis nostrae offerebant quotidie summa cum devotione, orationi ac divinis laudibus impendebant horas complures; reliquum vero tempus impendebant saluti promovendae eorum, quibus apostolicae fidei rudimenta explanatum venerant.

Unam ex praecipuis eorum stationibus fuisse constat prope pagum Laërensem i. e. Laër, quae nunc parochia dioecesis Monasteriensis est in comitatu Steinfurtensi: ubi praeter aedem his divis sacram per saecula multa fuerunt certissima

Digitized by Google

antiquae religionis et sanctitatis indicia. Monstrabantur inter alia fontes varii, quos sancti Ewaldi ad incolarum siccitate laborantium commoda impacto in terram viatorio baculo feruntur elicuisse. Cum enim, ut refert Rolevinckius, calentissima anni tempestate a paupere quadam femina flagitarent potum aquae frigidae et illa penuriam aquarum iisdem conquesta diceret: *Non habeo, domini; tellus ipsa iam ubique sitit et inops aquarum est;* suavissimis verbis mulierem consolati, *Creditote nobis*, inquierunt, *ex hoc momento non amplius aquarum inopia vos affliget;* statimque percussa baculis rupe limpidissimi fontes prosilierunt, qui deinde in rivum confluentes nunquam ab aestivis solibus visi sunt exarescere.

Ab utroque rivi latere decurrit spatiosus ager, qui ab sanctorum Ewaldorum habitatione et miraculis germanice *das Heiligenfeld* sive campus sanctorum vocatur. In medio campo sacellum olim his divis positum est, a Christophoro Bernhardo monasteriensi episcopo postea restauratum. Nunquam eius regionis incolae hunc campum a multis retro saeculis rastro vel aratro frangere ausi esse dicuntur, eosque, qui temere et per contemtum vel sulcos in hoc agro ducere, vel rapinas ex eo facere, vel alio modo eundem inhonorare attentaverint, semper intra breve tempus gravem in se vindictam de coelo expertos esse traditum est. Fuit, qui pratum illud aratro proscissurus, equos suos repentino fulmine exustos vidit effugitque; alius, qui hoc ipsum aggressurus, postquam binos ternosve sulcorum ordines laborando peregit, eosdem prodigioso sanguine inundantes reperit; alius, qui ferrum vomeris vi divina subito confractum vidit. Alii denique post rapinas ex eodem prato factas, vel repente in furias acti sunt, vel brevi post gravissimis calamitatibus implicati, vel vario mortis genere interempti. Quae omnia cum tradita sint a maioribus nostris, sancti illi apud incolas accolasque omnes tantam suae potestatis existimationem constanter obtinuerunt, ut iam ante trecentos et amplius annos *Domini de prato* ab iisdem appellati sint, neque quidquam usitatius fuit in ore vulgi, quam cognitis poenis eorum, qui hoc pratum violaverant, palam dicere *dominos de prato de iniuriis sibi illatis vindictam repetiisse.* Haec de antiquissima illa beatorum Ewaldorum

Digitized by Google

sede; quid autem boni ibidem hi effecerint, quam vitam eo in loco degerint, iam breviter percenseamus.

Primus amborum labor erat, ut omnem huius loci viciniam doctrina christiana et aqua salutis imbuerent: postea vero, cum totam hanc regionem assidua instructione et miraculorum copia eo adduxissent, ut veram Christi doctrinam sequeretur, etiam ad alia Westfaliae loca longe lateque procurrebant. Facile viri hi apostolici intelligebant, se nihil consultius posse agere, quam si unum alterumve gentis Saxonicae principem praedicatione sua et privatis eorundem allocutionibus ad doctrinam christianam traherent. Hac enim ratione faciliorem sibi viam fore, qua aliorum quoque animos ad doctrinam christianam commoverent amplectendam. Id vero consilium sane probabile fuisse nemo dubitabit; sed coeptis non successit. Quorundam enim rusticorum perfidia factum est, ut illud beatorum Ewaldorum consilium non solum ad irritum caderet, sed etiam iis mortem ac gloriosi martyrii sortem brevi pararet.

Caedem hanc contigisse memorant Appelerbecae prope Tremoniam eo loco, qui adhuc ab eorum nece nomen antiquum retinet linguaque germanica *die Mordmühle* dicitur. Illuc evangelii disseminandi causa cum sese contulissent, petebant a quodam rustico, accessum ut sibi pararet ad eius territorii satrapam et pagorum vicinorum principem, dicentes, habere se, quae ad ipsum secreto perferenda essent; rem esse e publica utilitate ideoque procrastinari non posse in longa tempora. Annuebat hominibus adhuc ignotis rusticus et tantisper detinebat ambos apud se, donec intervallo dierum aliquot eorum religionem et omnem vivendi modum attentius perviderent. Interea facile subdolebat astuto barbaro, quod genus hominum sub peregrinis vestibus domi haberet. Ieiunia, orationes, psalmorum cantus, oblata quotidie missarum sacrificia satis indicabant, christianos esse, ac proinde accessum ab iis flagitatum ad principem haud alio spectare posse, quam ut illum religionis alienae principiis imbuerent. Itaque, ut his consiliis viam quam celerrime intercluderet, advocata plurimorum agrestium turba, palam aperit, peregrinos sibi duos domi esse christianae religionis; cupere eos, ut admitterentur ad

Digitized by Google

alloquium principis: periculum fore, ut principe ab iisdem in transversum acto avita religio et omnis deorum suorum cultus paulatim in praeceps iret.

Validissima haec erant verba ad inflammandos turbae praesentis animos. Nam continuo barbari isti apostolicos viros feroce impetu rapuerunt extra villam, ubi primum Ewaldo albo contortis in corda gladiis vitam abstulere, nigrum vero longis cruciatibus et horrenda membrorum discerptione tam diu fagitaverunt, donec violenta mors, per innumera vulnera intromissa, fessum dolore spiritum interciperet. Non permisit tamen deus, ut huiusmodi facinus parricidis istis impune esset. Nam ut primum de perpetrato scelere certior factus est princeps, expeditis continuo satellitibus suis imperavit, ut facinoris reos omnes iugularent, vicumque totum in cineres verterent, sive quod peregrinos istos ab accessu suo iniquissime prohibuerant, sive quod auctoritate propria supplicium ab iis depoposcerant, quos in suo tribunali prius examinatos esse oportuerat.

Huic vero in parricidas acerbissimae animadversioni multum quoque ponderis addidisse videntur prodigia plurima, quae beatorum Christi martyrum necem statim consecuta sunt, paganis ipsis, qui eos occiderant, intuentibus. Ab his enim cum amborum corpora proiecta essent in fluvium, haud procul praeterlabentem, non modo quavis nocte copiosis de coelo radiis collustrata paulatimque in Rhenum devoluta sunt; sed etiam cum eadem prodigiosa luce, iterum adverso Rheno Coloniam Agrippinam adnataverunt, ubi a b. Tillmanno, apostolici laboris socio, quippe cui alteruter Ewaldus apparuisset, agnita et a clero populoque Agrippinensi dignissimis honoribus excepta sunt ad Rheni littora prope templum s. Cuniberti, in quo etiamnunc religiosissime asservantur. Mirum est, quantis incrementis hoc templum augeri coeperit ex eo tempore, quo huius tam sancti pignoris custodiam consecutum est. Certe, ut Gelenius refert, non modo Austrasiorum principum Pipini et b. Plectrudis, sed etiam aliorum procerum liberali munificentia tot ibi torques et monilia ad sanctorum tumbas oblata sunt, ut eorum impensa Rhenus ipse templo vicinior cedere coactus sit, locumque dare, in quo novus chorus, quem

Digitized by Google

vocant, templi fieret. Monstratur enim in medio choro locus ille, ubi primum beatorum Ewaldorum corpora Rheno extracta sunt, eumque coronat puteus superiore superficie aëneus cum hacce inscriptione nostram narrationem probante:

Appulit Ewaldos violento gurgite Rhenus,
Quos lux alta vehit huc, ubi fons scaturit.

Sarcophagum, qui eorundem reliquias complectatur, docet Gelenius, valde pretiosum esse. Capita sanctorum Ewaldorum iam ante compluria saecula Monasterium Westfaliae deportata sunt in ecclesiam cathedralem, quae eosdem inter patronos suae dioecesis antiquissimo semper in honore habuit. Quo autem anno et qua occasione id factum sit, reperire nondum potuimus. Verisimile est, id contigisse tempore sancti Annonis, Coloniensis archiepiscopi, quem complures volunt natione Westfalum fuisse, et rebus Westfaliae addictissimum. Id certum est, beatorum Ewaldorum corpora anno MLXXIV. ab eodem in ornatiores loculos translata esse. Id enim testantur antiquissimae s. Annonis litterae apud Surium, in quibus praeter alia ita scribitur: *Hac de causa pro peccatis meis ego sollicitus et futuri districtionem iudicii pertimescens, decrevi sanctos dei honorando et servientes eis sublevando precatores pro me efficere in iudicio, qui de propriis meritis iustificari non valeo. Gloriosos itaque martyres dei Ewaldos, in neglectis propter ignorantiam praecedentium loculis positos, ego peccator et servus servorum dei, Anno II. Coloniensis archiepiscopus licet indignus transtuli, ut qui iam recepti sunt in coelesti speculatione, apud nos aliquo digni haberentur honore: quatenus omnipotentis dei, pro quo passi sunt, misericordiam tanto studiosius pro nobis expostulent in coelis, quanto magis apud nos pro modulo nostro glorificentur et honorentur in terris.*

Additur in fine, translationem hanc factam esse anno dominicae incarnationis millesimo septuagesimo quarto, indictione undecima, quinto Nonas Octobres. Apud Gelenium est de iis hocce vetus et Leoninum carmen:

Laetificent Ewaldorum nos festa duorum;
Unius moris sunt, dissimilisque coloris,
Una truncati, pariter sunt glorificati

Digitized by Google

Post Rheni partes: sed non per remigiŝ artes
Corpora conscendunt, et ad urbis moenia tendunt
Non flatu venti. Sit laus, honor omnipotenti,
Qui sibi coniunctis per amorem praestat honorem.

Nos eorundem honori canimus hoc breve carmen:

Westfaliae fines intravit Ewaldus uterque:
Candidus alter erat; sed niger alter erat.
Quid faciunt illic? ambo venantur et aiunt:
Vel mihi sint animae, vel mihi praeda deus!
Quid capiunt? an forte labor fuit irritus illis?
Absit! utrique viro praeda sat ampla fuit:
Quod cupiunt, capiunt: utrique in retia multae
Venerunt animae, venit utrique deus.
Vae nobis miseris! etiam venamur, et, eheu!
Quod capimus, nihil est, quam cinis, umbra, nihil.
Cur? quia duntaxat venamur inania semper!
Qui, quod inane, cupit, semper inane capit.

Digitized by Google

IV.

S. Lebuinus,

Frisiorum et Westfalorum apostolus.

Refertur cum titulo sancti ad diem XII. Novembris in Martyrologiis Canisii, Molani, Grevenii aliis plurimis, citatis a Sollerio in additionibus ad Martyrologium Usuardi. Verba Grevenii ad diem supra dictum sunt haec: *Eodem die apud Daventriam depositio S. Lebuini confessoris, qui de Anglia, salvatore nostro sibi per visum apparente ac iubente exiens, genti Saxonum circa Isalam fluvium evangelium dei annuntiavit; multasque tribulationes perpessus propter verbum dei, quievit in pace.* Brevius de eo Gelenius egit in fastis: *Eodem s. Lebuini presbyteri, qui in veterum Ubiorum finibus Christum praedicavit.*

Vitam eius, quam ad diem supra dictum refert Surius, ante annos octingentos conscripsit Hucbaldus, monachus Elnonensis (i. e. Saint Amand) dedicavitque Baldrico, episcopo Ultraiectensi, qui, teste Ioanne de Beka, beato Radbodo (vel ut alii dicunt Radbodoni) successit anno DCCCCXVIII. Aliam breviorem eius vitam nobis praebuit b. Altfridus, episcopus Monasteriensis, in vita s. Ludgeri c. II. n. 11. et Wernerus Rolevinckius l. II. c. 1. Ex quibus ut s. Lebuini vitam accuratius possimus perscribere pauca videntur praecipienda:

1. S. Lebuinum fuisse Westfalorum doctorem, constat ex eius vita ab Hucbaldo scripta, c. 11. ubi haec leguntur: *In Saxonum gente priscis temporibus non inerat summi coelestisque regis notitia. Statuto quoque tempore anni ex singulis pagis* [1]) *viri duodecim electi et in unum collecti in media Saxonia secus flumen Wiseram exercebant generale consilium. Hunc sciens imminere conventum Christi miles Lebuinus destinavit animo, se illuc iturum.*

2. S. Lebuinus non fuit unus e sociis s. Willibrordi, quod

[1]) Vocabulum *pagus* h. l. neque villam, neque vicum significat, sed maiorem terrae tractum, quem medio aevo nostrates vocabant *Gau*.

Digitized by Google

Pseudo-Marcellinus in vita s. Suiberti c. VI. contendit. Willibrordus enim cum sociis suis in antiquam Frisiam appulsus est anno DCXC., quod ex vita s. Suiberti patet; Lebuinum vero venisse Willibrordo iam pridem defuncto manifestum est ex vita eius ab Hucbaldo Elnonensi scripta, et ex iis, quae Altfridus de eo memoriae prodit in vita s. Ludgeri l. II. c. 2. n. 11. Uterque enim scribit, eum de terra Anglorum venisse ad s. Gregorium, qui post s. Willibrordum eiusque successorem s. Bonifacium ecclesiae Ultraiectensi erat praefectus, sed non ante annum DCCLV., quo s. Bonifacius decessor eius martyrio coronatus est V. Junii die, uti refert Willibaldus in eius vita.

3. S. Lebuinus distiguendus est a s. Livino sive Lewino, episcopo et martyre Gandavi celebrato, quamvis uterque colatur eodem die XII. Novembris. Nam s. Livinus martyr et episcopus, ut scribit Haraeus, fuit natione Scotus, et e Scotia venit in Flandriam anno DCXXXIV, ubi eodem anno propter fidem occisus est. E contra s. Lebuinus confessor, de quo nunc agimus, fuit natione Anglus, atque longe post Livinum priorem ex Anglia profectus est Ultraiectum; quod ita esse supra demonstravimus. Inde a s. Gregorio, ecclesiae Ultraiectensis administratore, missus est in regionem Isalae fluvio adiacentem, ubi post varios labores pro Christo obitos sicca morte defunctus ac sepultus est Daventriae, quod testantur Hucbaldus Elnonensis in eius vita et b. Altfridus in vita s. Ludgeri.

4. S. Lebuinum obiisse circa annum DCCLXX. satis clare colligitur ex vita s. Ludgeri, ubi dicitur: „Post s. Liafwini obitum iterum impii Saxones vastaverunt locum illum et succenderunt ecclesiam corpusque eius per tres dies quaesiverunt, nec invenire potuerunt. Sed et abbas Gregorius migravit ad dominum et suscepit curam pastoralem Albricus nepos eius.“ Ex verbis hisce facile sequitur, s. Lebuinum e vivis abiisse ante s. Gregorium, ecclesiae Ultraiectensis curatorem, et ante vastationem alteram ecclesiae Daventriensis, quae vivente Gregorio contigit. Obiit autem Gregorius anno DCCLXXVI. die XXV. Augusti teste Henschenio in commentario praevio ad vitam s. Ludgeri n. 17. Quae eiusdem Gregorii mortem antecessit ecclesiae Daventriensis vastatio, accidisse videtur anno DCCLXXIV, quo Saxones per absentiam Caroli Magni, Italicis bellis occupati, ferociores animos resumpserunt duce Widukindo, uti refert Eginhardus et caeteri Francorum annalium scriptores. Ex iis coniici probabiliter potest, s. Lebuinum ante annum DCCLXXIV. e vita decessisse et quia Altfridus refert, Saxones in illa ecclesiae Daventriensis vastatione s. Lebuini corpus per tres dies quaesivisse, nec invenire potuisse, verisimillimum est, illud non ita recens eo loco sepultum fuisse. Unde sequitur, s. Lebuinum circa annum DCCLXX. diem obiisse supremum.

5. Eundem ex Anglia Ultraiectum profectum esse circa annum

Digitized by Google

DCCLX. aut certe non multo post, eo confirmatur, quod venit regente ecclesiam Ultraiectinam s. Gregorio abbate, quem anno demum DCCLV. ei ecclesiae praepositum fuisse, supra vidimus. Ea, quae s. Lebuinus in parochia Daventriensi gloriose gesserat, priusquam Ludgerus mitteretur ad reaedificandam ecclesiam illam a barbaris iam exustam, exposuit perpaucis Altfridus in altera Ludgeri vita (apud Surium), in qua l. l. c. 8. ita scribitur: *Defuncto Gregorio Albricus nepos eius successit. Is unico Ludgerum affectu diligebat, cuius prudentiae et fidei non ignarus ad quendam eum locum in sua parochia constitutum, qui Daventre dicitur, praedicationis et fidei roborandae gratia pergere suasit. Ad hunc locum quidam olim de terra Angliae dei servus, nomine Liafwinus, divinae visionis admonitione ad praedicandum missus, et plurimos convertit, et ecclesiam ibi aedificavit, in qua ipse usque ad diem dormitionis suae permanens, in eadem post suam de hoc saeculo evocationem sepultus est.*

6. Ubicunque in sanctorum Lebuini et Ludgeri ac Suiberti vitis mentionem faeimus antiquae Frisiae, ex verbis Bedae venerabilis aliorumque scriptorum facile intelligitur, totum illum terrarum tractum designari, qui a Rheno vetere, quem vocant, usque ad oceanum porrigitur atque complectitur Hollandiam Trans-Rhenanam, provinciam Ultraiectinam, Trans-Isalaniam et Frisiam modernam sive Frisiam occidentalem. Omnes enim eas regiones olim nomen Frisiae complectebatur. Quod attinet s. Gregorium abbatem, ad quem s. Lebuinus venit ex Anglia inter Frisios evangelium praedicaturus, nunquam episcopalem dignitatem adeptus est, id quod patet ex s. Lebuini vita ab Hucbaldo scripta, c. VII. ubi haec sunt: *Ibi* (Ultraiecti) *reperiens quemdam venerabilem virum, nomine Gregorium, gradu ecclesiastico presbyterum, sed tunc pro tempore episcopalis officii in eadem parochia vicarium, exposuit ei omnem suae peregrinationis sibi commissae praedicationis textum.* Haec confirmantur hisce verbis, quae insunt vitae s. Ludgeri: *Non enim fuerat idem Gregorius ad gradum episcopalem ordinatus, sed presbyteri perseveravit in gradu.*

Inter primos Frisiorum Saxonumque apostolos sanctus Lebuinus sive Liafwinus locum obtinet, qui natus erat in Britannia, quae per idem tempus innumerabilium sanctorum parens ac mater appellari poterat. Statim a prima pueritia ita se totum cultui divino tradidit, ut vel in ea iam aetate satis ostenderet, id sibi contigisse, quod olim a Salomone pronunciatum est: *Ex studiis suis intelligetur puer, si munda et recta sint opera eius.* (Prov. 20. v. 11.) Quo magis autem

Digitized by Google

ad annos iuveniles transiens puerum exuebat, eo etiam magis in ipso augebatur eximiae sanctitatis fervor, neque erat paulatim virtus aliqua, quae in eius moribus et innocente vita non elucesceret.

Cum vero sacerdotis ordinem suscepturus esset, illud imprimis cavebat et agebat unice, ne qua in re suae iuventutis operatio a clericali statu abhorreret. Nec enim ignorabat, sacerdoti ita cogitandum ac vivendum esse, ut vel ipsa agendi ratione ab aliis differat, suoque exemplo palam faciat, se esse de clero, i. e. de sorte domini, nec aliud a se in hac vita quaeri, quam *haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in caelis.* (I. Petri, 1). A mundi voluptatibus, pompisque saeculi, a frequenti hominum consortio, a conviviis epulisque publicis quam maxime abhorrebat. Oculos suos continebat ab omni evagatione minus custodita, aures ab auditu sermonum indecentium, linguam a multiloquio iocisque illiberalibus; ut enim olim Job suis oculis, sic ille sensibus omnibus legem dixerat, ne transirent fines suos. Incessus eius non erat arrogans ac tumidus; sed, ut clericum decet, humilis ac pudicus; agitatio manuum minime levis atque histrionica; sed moderata ac modesta: compositio totius corporis non ad vanitatem et licentiam, sed religiosa ac decora. His aliisque ornamentis ad sacerdotium progressus, cogitabat, sibi a domino dictum esse, quod olim filiis Aaron: *Sacerdotes sancti erunt deo suo, et non polluent nomen eius: incensum enim domini et panes Dei sui offerunt; et ideo sancti erunt.* (Lev. XXI. 6.). Quotidiana eius exercitatio erat, deum studiosissime colere, in orationibus vigilare, ad sacras doctrinas incumbere, ieiuniis carnis illecebras domare, altaris templique ministeriis pro sacerdotali officio suo frequentissime fungi.

Cumque interea ad animarum curam non levibus interne stimulis excitari se persentiret, hoc unum assiduis a deo precibus flagitabat, ut divinae circa se voluntatis placita apertius percognosceret, dicens cum Salomone: *Da mihi, domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis. Mitte illam de coelis sanctis tuis; e tua sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret; ut sciam,*

Digitized by Google

quid acceptum sit coram te. (Sap. IX.). Exaudivit autem hanc orationem servi sui deus, et admonitione terna eidem mandavit, ut ad Isalam, Frisiae antiquae fluvium, labores apostolicos inchoatum iret; locum enim hunc in Westfalorum confinio situm esse, planeque opportunum, ex quo subinde in istorum gentilium terris evangelicae doctrinae sementem faceret. Ea vox, sive interna solum fuit, sive externa, ita ut humanis auribus percipi posset; non minore certe facilitate atque alacritate accepta est a Lebuino, quam olim a patriarcha Abraham, cum a deo iussus sit, patriae suae fines egredi, ac proficisci in terram, quam ipsi monstraturus esset.

Itaque collectis extemplo rebus suis, Ultraiectum proficiscitur; rationem vocationis suae b. Gregorio abbati, qui tunc ei ecclesiae pro episcopo praecrat, accurate explicat, rogatque vehementer, ut ad fluvium supra dictum brevissima via se perduci faceret. Incredibile dictu est, quantum eo nuntio b. Gregorius delectatus sit. *Gratiae*, inquit, *sint infinitae deo optimo, qui sanctissima voluntate sua vocavit te in partem sortis sanctorum et in locum ministerii huius! Vade in dei nomine, quo coelum voluit, et opus tibi commissum ita perfice, ut post laborem seminationis tuae fructus uberrimos congreges in horrea domini.* Ut autem tutior b. Lebuinus ad locum sibi a deo designatum pergeret, post exhibita ei consuetae caritatis officia ille cum eo misit s. Marcellinum itidem natione Anglum, et in collegio Ultraiectensi a puero educatum, eique mandavit, ut in hoc itinere usque ad Isalam illius comes esset, eundemque populis, qui occidentalem eius amnis ripam incolunt, verbi divini praeconem constitueret.

Prima b. Lebuini in ea regione habitatio fuisse traditur in vico Wilpa [1]). Ubi cum a vidua quadam catholica, quam Altfridus Averhildam, Hucbaldus vero Everhildam nominat, hospitio susceptus esset, tanto spiritus ardore de veritate christianae doctrinae ad populum dicere coepit, ut intra breve tempus non modo accolarum plurimi baptizati sint, sed etiam sacellum aliquod ibidem exstruere liceret, in quo et sanctis-

[1]) Hodie vocatur *Wilp* neque procul Deventria meridiem versus situs est.

Digitized by Google

simum sacrificium offerre et catholicae doctrinae praecepta commodius explanare posset. Cum vero haec sacra aedicula paulo angustius constructa esset, quam ut eam, quae deinceps Christo acquisita est, populi multitudinem parietibus suis posset includere, crescente fidelium numero stationem hanc mutare necesse fuit. Itaque in adversa fluvii eiusdem ripa, ubi nunc est Daventria civitas, ecclesiam aliam longe maiorem condidit et iuxta eam eius habitationi congruam domum. Erat visu periucundum, quam felicibus incrementis in dies efflorescceret Christiana fides. Nullus fere dies illucescebat, quo non aliquot apparerent, necessaria salutis aqua lavari cupientes; nulla fere concio aut catechesis instituta est, in qua non comparerent infidelium plurimi, ut pie vivendi et christianae vitae rationes discerent. Ipsi etiam primores ac nobiliores gentis b. Lebuinum admodum diligebant, quippe qui viderent, hunc virum esse, in quo serenitas oris cum illibata castitate, sermonum iucunditas cum sobrietate morum, affabilitas ac munificentia erga pauperes cum egregia ciborum parcitate coniuncta esset.

Non poterant ista nascentis ecclesiae commoda pacatis animis diu ferre vicini Saxones, et quia divini operis successus adeo prosperi acutissimi iis erant stimuli, quibus admodum pungebantur, paulatim inter se conferebant sua turbulenta capita, dicentes ac mussitantes invicem: Quidnam est illud phantasma vagabundum, quod illic ad Isalam cursitat, et vicinorum nostrorum animos ita infatuat? Quoscunque alloquio suo pulsat, velut unco vel catena ferrea trahit ad se; quibuscum agit aut conversatur, eos philinis et incantationibus suis ita obligat, ut vix ab eo divelli possint. Contemptor est, et persecutor deorum nostrorum maximus. Venite, comprehendite, mactate scelus istud, antequam grassetur latius in nostra viscera, et nos filiosque nostros iisdem praestigiis suis in transversum rapiat.

His aliisque eiusmodi vocibus, posteaquam funesta seditionis tuba iam saepius inflata est, proruperunt tandem in apertas furias, ingentique turbine trans Isalam provoluti, Daventriam vicum aggrediuntur, Christianos omnes e locis vicinis exigunt, ecclesiam nuper conditam subiectis facibus

Digitized by Google

exurunt, domos et aedificia dissipant; Lebuinum ipsum, cuius vita et caput praecipue petebatur, suis gladiis transfodissent, nisi eum potentior dei manus protexisset et subtraxisset furori barbaro et ad multorum salutem illaesum custodivisset. Huic vero viro apostolico, ut qui omnibus rebus se exutum videret, consultissimum videbatur, iniuriis temporum nonnihil cedere et interim in collegio Ultraiectensi tantisper apud suos commorari, donec ista barbarorum turba mitigatis animis paulatim conquiesceret. Id ubi post aliquod temporis intervallum coelesti beneficio effectum vidit, iterum ad parochianos suos nuper dispersos rediit, iisdemque in stationem pristinam revocatis, labores evangelicos redintegrato animo exorsus est. Prima cura fuit, ecclesiam Daventriensem, quae nuper in cineres acta erat, ab incendiis restaurare. Qua re confecta in Saxoniam conversus, Westfalorum plurimis, qui Frisiis viciniores erant, rudimenta doctrinae christianae tradidit. Neque hi ad eadem amplectenda ostenderunt se tam difficiles, quam antea visi erant. Quamvis enim nuper in s. Lebuinum et christianorum sacra barbari ultima saevissent crudelitate; uno tamen alterove alloquio viri sancti, velut prodigio quodam, ita capti sunt, ut de ipso eiusque egregia sanctitate opinionem ab errore pristino plane diversam ceperint. Unde et ipsum novus incessabat fervor in interiores Saxoniae regiones ulterius progrediendi, ut ibidem verbi divini esset nuncius et pestem superstitionis exscinderet.

Occasionem ad hoc offerebant comitia quotannis celebrari solita in loco, qui vocabatur Marcklo et quaerendus est in comitatu Hoya ad Visurgim fluvium, in quibus praeter innumeram Edelingorum, Frilingorum et Lazziorum [1]) multitudinem conveniebant omnes principes ac primores totius populi, ut antiquas leges renovarent, stabilirent amicitias, sancirent foedera, deciderent causas magis intricatas omniaque ad pacem bellumve necessaria communi suffragio constituerent. Cum ergo comitiorum istorum anniversarius dies instaret, Lebuinus divino praecepto monitus, festinatis itineribus eundem in locum sese

[1]) Haec vocabula significant nobiles, ingenuos, plebeios gentis Saxonicae, quod testatur Hucbaldus in vita s. Lebuini aliique.

Digitized by Google

contulit. Inter viam liberali hospitio exceptus est a Folckberto quodam, viro inter Westfalos perillustri et christiana doctrina iam imbuto, qui cognita istius profectionis causa, modis omnibus eundem dehortatus est, ne in huiusmodi conventum temere se immitteret: exploratissimum sibi esse, quam innumeros in ea gente adversarios haberet: periculum fore, ne in mortem praesentissimam sese inferret atque ab efferata plebe crudeliter occideretur, non sine ingenti detrimento luctuque fidelium, quos Christo paravisset. At ille his omnibus argumentis periculisque nihil territus: *Frustra,* inquit, *me istud rogas, amice optime, nec enim audeo, nec possum id omittere, quod mihi imperatum est, a rege meo ac domino Jesu Christo. Frendeant, stridant, minitentur, quidcunque volent, Saxones. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* (Psalm. CXVII.). Hoc animo comparatus persequebatur inceptum iter, atque ut fortis Christi miles sumpto fidei scuto et salutis galea, inferebat se in medios infidelium coetus, armis iustitiae virtutisque eius circumdatus a dextris et a sinistris.

Initia comitiorum fiebant a deorum adoratione: coram quibus dum omnis illa multitudo profundissimo cultu in genua procumbit, s. Lebuinus in editiorem locum repente ascendit atque ita verba facere coepit ad congregatos: *Auscultate mihi, viri, quotquot adestis, immo non me, hominem vobis non dissimilem, sed ei potius auscultate, qui voce mea ad salutem vestram uti voluit. A deo enim legatus sum ad vos; et illius mandata vobis perfero, cuius imperio ac potestati subiecta sunt omnia, quae moventur in coelo et in terra.* Haerebant omnes velut attoniti ad inopinatum sermonem istum; habitumque et aspectum hominis demirati, cogitabant, quid sibi vellet haec oratio et insueta praefandi methodus? At ille sermonem inceptum prosequens: *Auscultate,* inquit, *attendite, et scitote, quia Dominus creator coeli et terrae, maris et omnium, quae in eis sunt, ipse solus unus et verus est Deus. Ipse fecit nos, et non ipsi: neque est alius praeter eum. Simulacra, quae deos esse putatis, quosque a diabolo decepti, venerando colitis, aurum vel argentum, aes, lapis aut lignum sunt: non vivunt, non moventur, neque sentiunt, opera enim*

Digitized by Google

hominum sunt, nec cuiquam alii, nec sibi possunt auxiliari. Ergo Deus solus bonus, solus iustus, cuius misericordia et veritas manet in aeternum, condolens tam miserabili vos daemonum seductos errore, hac me praecepit fungi legatione, ut vetusti poenitentes erroris, ad eum convertamini recta et sincera fide, cuius creati estis bonitate. In ipso denique vos et nos omnes vivimus, movemur et sumus. Si illum fideliter agnoscentes, poenitentiam egeritis, baptizati in nomine patris et filii et spiritus sancti fueritis, et mandata eius obedienter servaveritis, ipse vos ab omnibus servabit malis et concedens tranquillitatem pacis, dabit hic iucundari temporalibus copiis, et in futura vita omnibus aeternaliter perfrui bonis. Si autem praecepta eius saluberrima nullificaveritis, et iniqui cordis errorem corrigere nolueritis, scitote quia patiemini iudicium poenae gravioris de contempta admonitione eius benignitatis. Ecce enim ex sententia oris eius, quae est immutabilis, praenuncio vobis, quia, nisi his monitis obtemperaveritis, iam celerrime veniet vobis malum inopinatae tribulationis. Praeordinavit namque rex coelorum omniumque seculorum regem fortem [1]*), prudentem et acerrimum, non de longinquo, sed de proximo instar torrentis rapidissimi properantem ad emolliendam duri cordis vestri ferocitatem, et comprimendam rigidae cervicis contumaciam. Qui vehementi impetu vestram aggrediens regionem, gladio, vastitate, incendio et exterminio cuncta depopulabitur, et ut vindex irae Dei, quem semper exacerbastis, vos quidem partim mucrone concidens perimet, partim egestate tabescere faciet, partim perpetui exilii moerore consumet. Coniuges vestras ac liberos passim ad serviendum distribuet, et si qui residui fuerint, ignominiosos suo dominio subiugabit, ut et de vobis iamdudum iure praedictum videri possit: Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.*

„Talia beato viro prophetali spiritu praeconante, illi daemoniaco bacchantes spiritu, pleni furoris et insaniae, perstrepunt undique clamore confuso: *En, ecce adest seductor ille, sacrorum nostrorum et totius inimicus patriae: aequum*

[1]) Haec haud dubie spectant ad Carolum Magnum.

Digitized by Google

est, ut debitas sumat suo sanguine poenas. Tum vero ex proximis sepibus palos rapiunt, detruncant et exacuunt, ut veluti assolet fieri lapidibus, sic eum illis sudibus perimerent. Sed taliter inardescente adversus virum sanctum furore malignantium, deus suorum protector fidelium, protexit illum sub velamento alarum suarum. Denique sicut ipse dominus Jesus olim a perfidis Judaeis ad supercilium montis ad praecipitandum perductus, suae virtutis potentia transiens, per medium illorum ibat illaesus: sic et iste famulus eius, eiusdem domini sui munimine circumseptus, per medium se necare cupientium et ipse transiit intactus."

„Inter ipsos tamen quidam fuerant sanae mentis, quorum corda deus tetigerat, qui haec fieri in sanctum dei omnimodis prohibebant. Quorum unus caeteris honoratior, nomine Buto, stans in eminentiore loco, ita protestatus est: *O viri quicunque adestis cordati, auribus percipite verba oris mei. Frequenter ad nos quarundam gentium, Normannorum, Sclavorum ac Frisiorum venerunt legati, quos more solito cum pace suscepimus, verba legationis diligenter tractavimus, et honorifice auctos muneribus ad propria remisimus. Et ecce nunc legatus summi dei, deferens nobis mandata vitae ac nostrae salutis, non solum spretus et contemptus est a nobis, sed etiam insectatus iniuriis, ac paene subiit discrimen mortis. Quam vero sit potens, qui illum destinavit, patenter ostendit, cum de manibus nostris eum tam potenter et mirabiliter eripuit. Unde et ea, quae comminando vobis prophetavit, futura sive ventura procul dubio experiemini nimium vera, dum ea iudicio dei sui, qui tam potens est, nobis fuerint illata.* Huiuscemodi redargutionis, ac potius terroris sermonibus perculsus aliquantulum est immansuetus eorum animus, et communi decreverunt consensu, ne a quoquam impeteretur ille dei nuncius: sed quocunque vellet ire, absque ulla laesione pergeret securus."

Interim b. Lebuinus in regionem Isalae adiacentem reversus erat, ubi reliquum vitae tempus inter labores apostolicos ita consumpsit, ut quamvis mortem violentam pro Christo consequi non posset, tamen sine sanguinis profusione diuturni martyrii genus etiam in pace pateretur. Praeterquam enim, quod carnem suam quotidie crucifigebat cum vitiis et concupi-

Digitized by Google

scentiis suis; in fame et siti, in frigore et nuditate, in ieiuniis et vigiliis multis assidue circumcursans, labore bipartito iam abibat ad propinquos Westfalos, ut iis aeternae salutis praecepta traderet, iam redibat ad sibi commissos Frisios, ut, verbum divinum aliis praedicans, etiam illis non deesset. Utrosque vero ita ad veram religionem ac pietatem instituit, ut amborum doctor et apostolus iure meritoque appellari possit.

Obiit autem circa annum DCCLXX., die XII. Novembris, sepultusque est Daventriae in templo ab ipso bis exstructo. Ossa eius triennio vel quadriennio post, cum Westfali Widukindo duce contra Carolum M. rebellarent, triduo quidem integro ab iisdem quaesita sunt, sed non inventa, quoniam deus infidelium istorum oculos excaecaverat, ne thesaurum hunc sacrum reperirent. Prodierunt tamen iterum atque ad venerationem publicam post annos fere duos exposita sunt a s. Ludgero, qui postea factus est Monasteriensium primus episcopus, tunc vero ecclesiae Ultraiectensis fuit diaconus. Hic enim a b. Gregorii successore Daventriam missus est, ut s. Lebuini corpus refoderet et ecclesiam, quae tumultu nuper a Westfalis facto in cineres terramque conciderat, a tristi incendio restitueret. Eo in labore cum b. Lebuini corpus modis omnibus diu frustra conquisivisset, eundem nocte quadam sibi conspicuum sensit, et ita alloquentem audivit: *Perge, perge, Ludgere frater, operi a te coepto manum indefessam addere; corpus meum, quod quaesivisti, invenies sub fundamento parietis australis a te positi.* Nec defuit somnio fides: altero enim mane viri beati corpus inventum est in loco per noctem designato. Ideoque Ludgerus iussit, ecclesiae inchoatae latera eo usque meridiem versus retrahi, ut in illius medio s. Lebuini sepulcrum surgeret.

Ex eo tempore sacrum illud pignus miraculis plurimis beneficiisque adeo impetratis illustre erat, quod praeter alios b. Radbodus, Ultraiectensis episcopus, haud ita longe post s. Lebuini obitum testatus est in sermone de eiusdem laudibus habito, in quo haec sunt: *Nos de sancto dei Lebuino nihil mentitos esse, testem habemus ecclesiam, quae huius beneficiis cumulata, quam grandis apud divinitatem meriti fuerit, crebris remediorum proventibus confitetur. Cui quidem*

Digitized by Google

ea, quae de illo dicimus, grato fere indicio est, quod legenti tantus adsistat populus auditorum, ut compressum multitudinis etiam hi pertimescant, qui in tuto loco stare videntur: vixque in digressu aliquis inveniatur, qui non deo gratias referat pro eo, quod se patrocinium Lebuini audisse pariter et sensisse commemorat. Ego vero non alienum a re me facturum arbitror, si paucos versus, quos ad apostoli tam insignis honorem cecini, eius sepulcro coner appendere:

Lebuini zelo non sufficit Anglia tantum,
Nec satis est hominum Frisia quidquid habet;
Westfalicos etiam penetrat se fortis in agros;
Nec tamen haec illi terra sat ampla fuit.
Scilicet hic amor est, qui magnos urget amantes;
Verus amor nunquam iudicat esse satis.
Ossa viri sancti servare Daventria coepit,
Cum pia mens hilarem legit ad astra viam.
O, utinam pariter cum sanctis ossibus urbs haec
Servasset veterem, quam dedit ille, fidem!

Digitized by Google

V.

S. Felix,

martyr, monachus Frideslariensis.

Refertur cum titulo sancti ab Henschenio in Actis ad diem V. Junii, a Bucelino Wione aliis compluribus ad eundem diem. Breve elogium eius praebet Trithemius c. III. de viris illustr. quod suo loco dabimus.

Frideslaria, ubi s. Felix vitam religiosam profitebatur, urbs est in ditione electoris Hassici ad Adranam fluvium sita, quae originem suam debet s. Bonifacio, quippe qui ibidem anno DCCXXXII. monasterium ordinis s. Benedicti una cum ecclesia s. Petro apostolo dedicata aedificaverit [1]). Initio s. Bonifacius huic monasterio ipse praefuit. Cum vero eum alias regiones peragrare necesse esset, huic monasterio primus abbas a s. Bonifacio constitutus est s. Wigbertus, quo moderatore schola Frideslariensis brevi ad magnum florem pervenit. Eo enim consilio s. Bonifacius illud monasterium construxerat, ut ibi erudirentur iuvenes, qui possent dignitatem sacerdotii suscipere et inde in vicinos Saxonum fines excurrere, ut incolas Westfaliae doctrinae christianae praeceptis instruerent.

Inter alios, qui istud praedicationis officium susceperunt, fuit s. Felix monachus, qui „vir sanctus," inquit Trithemius, „et verbi dei ferventissimus praedicator post multa bonorum operum studia, cum gentilibus annunciaret fidem Christi, ab eis martyrium recepit." Eum interfectum esse verisimile est

---

[1]) Willibaldi vita s. Bonifacii apud Pertzium, l. c. Tom. VI. p. 354.

Digitized by Google

vel ante initium bellorum Caroli Magni cum Saxonibus gestorum, vel eo tempore, quo Westfalia a Carolo Magno saepius domita, iterum saepius auctore Widukindo in bellum rediit, et sacerdotes, ad suam instructionem destinatos, expulit aut prostravit. Plura atque certiora, neque de s. Felicis vita neque de tempore istius martyrii huc usque reperire potuimus. Quare memoriam sancti Felicis hocce carmine esse celebrandam existimavimus:

Westfaliam voluit felicem reddere Felix;
Et subito felix morte fit ipse sua;
Martyrium patitur; patiendo ad sidera transit:
Quam breve Martyrium gaudia quanta facit?
Pro Christo moritur; quid morte optatius ista?
Mors ea pro Christo non nisi vita fuit.
Tu quoque, si nequeas pro Christo ponere vitam,
Ad minimum vitiis fac moriare tuis.
Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet;
Haec tibi mors olim vita perennis erit.

Digitized by Google

VI.

S. Sturmus,

abbas Fuldensis, Paderbornensium apostolus.

Refertur cum titulo sancti quum ab aliis, tum a Mabillonio in actis sanctorum ord. s. Benedicti et a Surio ad diem XVIII. Decembris. Cum vita s. Sturmi inter vitas a P. Strunckio conscriptas desideraretur, mihi vero primus Paderbornensium apostolus nullo pacto silentio praetermittendus videretur; meum esse existimavi, vitam eius huic libro inserere. Recepi igitur vitam s. Sturmi conscriptam ab Eigile, qui per viginti annos eius erat discipulus et postea ab anno DCCCXVIII. usque ad annum DCCCXXII. abbas Fuldensis. Rebus narratis se interfuisse ipse testatur et libellum suum haud longe post obitum praeceptoris Carolo Magno etiamtunc imperante, videtur composuisse.

Inter eos, qui incolis huius regionis primi doctrinae christianae praecepta tradiderunt, eminet s. Sturmus, abbas Fuldensis, ante alios dignus, cuius vitam accuratius cognoscamus. „Tempore quodam," inquit Eigilis, „sanctus ac venerandus archiepiscopus Bonifacius Noricam regionem ingressus, cum sacerdotes et universos ecclesiae ordines ad catholicam imbueret fidem, cunctosque ibidem haereticorum errores ab ecclesiis repelleret Christi, populos quoque gentis illius, licet essent christiani, ab antiquis tamen paganorum contagiis et perversis dogmatibus infectos, veracibus Christi doctrinis cohiberet; coeperunt ei certatim nobiles viri in servitium Domini nutriendas suas offerre sobules. Tunc etiam puer Sturmus precatu parentum ab eo susceptus, qui Norica provincia exortus, nobilibus et christianis parentibus generatus et nutritus fuit. Qui

Digitized by Google

carnali quidem relicta cognatione, (nostrae redemptionis secutus patrem), peregrinationis viam cum episcopo pariter, a quo erat susceptus, flente universa parentela, gratanter arripuit. Cumque pluribus provinciis peragratis, ad Frideslar Hessionum in regionum, sancti viri coenobium, tandem pervenissent, nobilem puerum suo cuidam presbytero nomine Wigberto sanctus commendavit episcopus. Adhibita tunc omni diligentia, presbyter sanctus puerum Sturmum ad Dei omnipotentis servitium instituere studuit. Psalmis tenaci memoriae traditis, lectionibusque quam plurimis perenni commemoratione firmatis, sacram coepit Christi puer scripturam spirituali intelligere sensu, quatuor evangeliorum Christi mysteria studiosissime curavit addiscere, novum quoque ac vetus testamentum, in quantum sufficiebat, lectionis assiduitate in cordis sui thesaurum recondere curavit. Erat quippe, ut scriptum est, *meditatio eius in lege Domini die ac nocte;* profundus in sensu, sagax in cogitatione, prudens in sermone, pulchro adspectu, gressu composito, honestis moribus, vita immaculata, caritate, humilitate, mansuetudine, alacritate, omnium in se traxit amorem.

Post non longum tempus presbyter omnium voluntate omniumque consensu servorum Dei ordinatus, coepit mystica dicta Christi circumquaque temporibus opportunis populis instanter praedicare; sacrae etiam virtutes per divina sancti Spiritus charismata fiebant ab eo plurimae. Quoties per sancta orationum studia in Dei nomine immundorum spirituum habitationem a peccatoribus christianis expulit! quoties per impositionem manus, per humilem orationem ab adversis valetudinibus sanavit aegrotos! quoties serpentinis infesta corda venenis doctrina salutari subveniens, letale virus, quod pestifere latebat, medendo curavit! Discordes pace rupta ad concordiam caritatis redire ante solis occasum imperavit; patientiam animi, mansuetudinem spiritus, humilitatem cordis, longanimitatem, fidem, spem atque caritatem, omnes habere docuit.

Cumque paene tribus annis sic presbyteratus sui praedicando ac baptizando officium gereret in plebe, caelesti illi inspiratione cogitatio incidit in cor, ut artiori se vita et eremi squalore constringeret. Huius cogitationis iugem memoriam singulis momentis e horis gerebat in pectore, donec divina

Digitized by Google

administratione instructus, viro Dei Bonifacio archiepiscopo, quod animo occulte conceperat, spiritali magistro revelavit. Quo comperto, vir sanctus a Deo hanc inspirationem descendisse intellexit, gaudensque quod Dominus illum per suam gratiam admonere dignatus est, tali studio devotissimus fautor gratanter exstitit. Adiunctis ergo ei duobus comitibus omnibusque diligenter instructis, oratione facta et benedictione super eos data: *Pergite*, ait episcopus, *in hanc solitudinem, quae Bochonia nuncupatur, aptumque servis Dei ad inhabitandum exquirite locum; potens est enim Deus parare servis suis locum in deserto.* Perrexere itaque illi tres ad eremum; ingressique solitudinis agrestia loca, praeter coelum ac terram et ingentes arbores paene nihil cernentes, devote Christum poscebant, ut pedes illorum in viam pacis dirigeret. Die tertio pervenerunt ad locum, qui usque hodie Hersfelt dicitur: visis exploratisque ibidem locis circumquaque positis, Christum sibi locum illum ad inhabitandum benedici poposcerunt, atque in loco illo, ubi nunc monasterium situm est, parva arborum corticibus tecta instruunt habitacula; manseruntque illic tempus non modicum, sacris ieiuniis et vigiliis atque orationibus Deo servientes.

Post aliquantum vero temporis sancto studio repletus Sturmus egressus de eremo, ad sanctum archiepiscopum Bonifacium perrexit, eique et loci positionem et terrae qualitatem, et aquae decursum, et fontes et valles, et omnia quae ad locum pertinebant, per ordinem exposuit. Quod vir sanctus Bonifacius archiepiscopus diligenter audiens et prudenter secum pertractans, eremitam suum omni caritatis affectu suscepit, secumque habitare aliquantisper imperavit. Post colloquium autem dulce quod habuit cum magistro, et uberes sacrarum scripturarum consolationes, episcopus taliter locutus est: *Locum quidem, quem repertum habetis, habitare vos propter viciniam barbaricae gentis pertimesco; sunt enim, ut nosti, illic in proximo feroces Saxones. Quapropter vobis remotiorem et inferiorem in solitudine requirite habitationem, quam sine periculo vestri colere queatis.* Tunc vir beatus Sturmus, obaudiens omnibus, quae ei fuerant ab episcopo imperata, sacris eius doctrinis imbutus animoque confortatus, de inquisitione loci

Digitized by Google

sollicitus, ad eremum alacriter perrexit. Qui cum ad suos pervenisset socios, in praedictis eos reperit habitaculis suum anxie praestolari adventum. Quos cum vidisset, ab episcopo verbis pacificis illos salutavit, eosque multum et de adventu suo et de episcopi narratione consolatus est. Cumque per ordinem eis verba sancti exposuisset episcopi, adsumtis secum duobus fratribus, adscenderunt navem superiora petentes loca. Per alveum Fuldae fluminis navigio pergere coeperunt, lustrantes ubique loca ad omnium torrentium vel fontium ora. Navem egressi, ambulantes circumquaque et considerantes terram, montes, colles, superiora et inferiora explorantes, ubi Dominus servis suis in solitudine ad inhabitandum aptum demonstraret locum, tertio demum die ad locum pervenerunt, ubi flumen, quod dicitur Luodera, intrat in Fuldam. Inde reversa nave coeperunt ad propriam remeare cellam, nihil tale reperientes quod eorum placuisset obtutibus, praeter quod paullisper demorati sunt in loco qui dicitur Rouhenbach, [1]) ubi eis visum fuerat posse servos Dei utcumque esse; non tamen per omnia aestimantes venerando episcopo placuisse. Qui cum per eiusdem fluminis alveum renavigarent, post non longum tempus ad sua paupercula pervenerunt habitacula. Tum Christum ibi omni tempore deprecantes, ut eis desideratam ostenderet eremi habitationem, ubi secundum praeceptum beati Bonifacii episcopi possent iugiter Domino securi deservire; sic in Domini servitute die noctuque ieiuniis, vigiliis et orationibus perseverantes, domini Dei sui memoriam non amittebant, dicentes in corde suo: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Laus quoque Christi continua in ore pariter et corde ipsorum resonabat, implentes illud psalmigraphi: *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo.*

Tunc sanctus episcopus Bonifacius, memor eremitae sui Sturmi, quodque de inquisitione loci habuisset peractum admirans, nuntium misit, qui illum rogaret, concite ad se venire. Quo cum propere nuntius venisset, reperit eum in supra me-

---

[1]) In dextra Fuldae fluvii ripa haud procul ab ostio Luderae situm.

Digitized by Google

moratis insistere habitaculis. Cui honorifice salutato: *Venerandus*, ait, *pater noster episcopus multum te videre desiderans, rogavit, ut ad eum, si non graveris, venias; habet enim necesse multa tecum conferre.* Auditis itaque eius sermonibus, vir studiosus Sturmus humile responsum reddidit dicens: *Christo deo gratias ago, quod meae parvitatis memor tantus pontifex ad me in hanc solitudinem suum nuntium destinare dignatus est.* Vocatisque ad se fratribus, praecepit advenienti nuntio caritatis officium impendere. Qui diligenter eius praeceptum implentes, ei mensam posuerunt, cibos quos habuerunt offerentes; quo refecto, fratres ei abeundi licentiam poposcerunt. Tunc vocato ad se vir Dei nuntio, gratias ei fatigationis suae referens, dixit: *Sanctum Bonifacium pontificem a nobis servis suis pacificis salutato sermonibus, eique dicito, quod post, quantocius potero, properabo.* Benedixitque illum et abire permisit. Sequenti vero die, petita a fratribus benedictione, vir Dei Sturmus statim profectus est, arreptoque itinere ad Seleheim [1]), ubi sanctum comperit episcopum, properavit. Die autem secundo quo profectus est, ad episcopum ambulando pervenit, et in loco eum superius dicto Frideslar invenit. Cum indicatum sancto fuisset episcopo, eremitam suum Sturmum adfuisse, statim illum praecepit ad se duci. Cumque adductus fuisset ante eum, ad terram se humiliter prostravit, et salutato pontifice se benedici poscebat. Cui benedicto et resalutato, ad se accedere eum iussit; et osculato eo, iuxta se sedere praecepit; et cum omni caritatis affectu in adventu illius laetatus est, rogavitque eum, ut aliquantulum propter eius amorem et praesentiam sibi a consueto ieiunio indulgeret. Quod vir Dei cum magna agens discretione, propter reverentiam summi sacerdotis et magistri adsensit. *Totum sanctum*, inquit, *credo, quod a vobis mihi fuerit imperatum.* Mox mensa posita in praesentia episcopi fuit, susceptis coram eo cibis, quos ille praecepit honeste comedere. Cui refecto ferculoque levato surgens episcopus, adduxit secum in secretiorem locum, solitarium suum, ubi diutissime de spiritalibus tracta-

---

[1]) Situm prope Amoeneburg.

Digitized by Google

vere rebus et de conversatione multum disputavere. Erat quippe pontifex sanctus nimium animo intentus — quod postea claruit — monachicam in solitudine instituere conversationem; unde etiam tunc inter cetera colloquia percontatus est, quid de exploratione loci habuisset actum. Cui adveniens anachoreta Sturmus respondit: *Navigavimus*, inquit, *cursum per alveum fluminis Fuldae per plures dies; nihil tale reperimus quod vobis laudare praesumamus.* Intellexit sanctus episcopus praedestinatum a Deo locum necdum fuisse revelatum; prophetica voce locutus est ei dicens: *Locus quidem in illa solitudine a Deo paratus est; quem quando vult Christus, servis suis ostendet; quapropter noli de inquirendo cessare, sciens et credens, quod eum absque dubio ibi reperies.* Sic eum certum de loci inventione factum et ad monasticae vitae amorem incitatum et de spiritali contra diabolum certamine multum imbutum, ad delectum remeare permisit eremum. Qui cum suam pervenisset ad cellam, quae in loco superius iam comprehenso Hersfelt fuerat constructa, salutatis fratribus quos ibidem reperit, praeceptum ac promissum sancti exposuit episcopi.

Cumque parumper penes ipsos fessus respirasset, stravit asinum suum; sumtoque viatico, solus profectus est, iter suum Christo, qui est via, veritas et vita, commendans, solus omnino sedens super asinum, per vastissima deserti loca pergere coepit. Tunc avidus locorum explorator ubique sagaci obtutu montuosa atque plana perlustrans loca, montes quoque et colles vallesque adspiciens, fontes et torrentes atque fluvios considerans, pergebat. Psalmos vero in ore retinens, Deum gemitibus animo ad caelum levato orabat, ibi tantummodo quiescens, ubi eum nox compulit habitare. Et tunc quando alicubi noctabat, cum ferro quod manu gestabat, sepem caedendo ligno in gyro composuit, ad tutamen animalis sui, ne ferae, quarum perplura ibi multitudo erat, illud devorarent. Ipse autem, in Dei nomine signo crucis Christi fronti impresso, securus quiescebat. Sic vir sanctus armis spiritualibus perornatus, lorica iustitiae totum corpus induens, scuto fidei pectus muniens, caput galea salutis protegens, gladio verbi Dei accinctus, ad certamen contra diabolum processit. Tunc quo-

Digitized by Google

dam die dum pergeret, pervenit ad viam, quae a Turingorum regione mercandi causa ad Magontiam pergentes ducit; ubi platea illa super flumen Fuldam vadit, ibi magnam Sclavorum multitudinem reperit eiusdem fluminis alveo natantes, lavandis corporibus se immersisse; quorum nuda corpora animal cui praesidebat pertimescens, tremere coepit; et ipse vir Dei eorum foetorem exhorruit, qui more gentilium servum Domini subsannabant, et cum eum laedere voluissent, divina potentia compressi et prohibiti sunt. Unus autem ex illis qui erat ipsorum interpres, interrogavit eum, quo tenderet? Cui ille respondit, in superiorem partem eremi se fore iturum.

Sicque vir Dei per horrendum solus pergens desertum, praeter bestias, quarum ingens in eo fuit abundantia, et avium volatum et ingentes arbores, et praeter agrestia solitudinis loca, nihil cernens, tandem quarto die praetergrediens locum, ubi monasterium nunc situm est, superiora petens, ubi flumen, quod dicitur Gysilah, Fuldae alveo se immiscet, deinde paullo superius progressus, ubi semita fuit quae antiquo vocabulo Ortessveca dicebatur, post occasum solis pervenit; ibique se et asinum suum munire propter nocturnos incursus satagens. Cum autem ibidem se nocturnis castris munire curaret, audit procul sonitum aquae; quod utrum ferae an homo fecisset ignorabat. Stans silenter intentis auribus auscultabat: audit iterum sonitum aquae. Tunc quia vir Dei clamare noluit, cavam ferro quod manu ferebat pulsavit arborem, intelligens hominem esse nutu Dei. Ille vero cum audisset sonitum pulsantis, illuc properans proclamavit. Qui cum appropinquasset, videntes alterutrum, mutuo se salutaverunt. Cumque eum homo Dei interrogasset, unde veniret, respondit, se de Wedereiba [1]) venire, domini sui Ortis equum in manu ducere. Colloquentes itaque inter se, ibidem pariter nocte illa manserunt; erat quippe ille homo locorum in solitudine peritissimus. Cumque illi vir Domini quid animo gestabat et quid gereret revelasset, coepit ei locorum nomina indicare, et torrentum et fontium fluenta denuntiare. Qui cum tunc in illo fuissent loco, qui antiquo vocabulo Aibloh nuncupatur, mane surgentes inde, alterutrum

[1]) Postea nominabatur *Wetterau*.

Digitized by Google

se invicem benedixerunt, et statim vir saecularis ad Grabfelt per viam suam pergere coepit.

Servus autem Domini Sturmus inde reversus, domino Christo iter suum et spem omnem commendans, per desertum more suo pergere coepit solus. Qui cum Aihloha gradiebatur, et ei illic terra displiceret, venit ad torrentem qui usque hodie Grezzibach dicitur, visisque illic loci positionibus et terrae qualitatibus, paullisper remoratus est; inde regressus pusillum, ad benedictum et a Domino iamdudum praeparatum pervenit locum, ubi nunc sanctum situm est monasterium. Quo cum pervenisset, statim sanctus vir Sturmus immenso repletus gaudio, alacer et exultans ibat; intellexit enim per merita et orationes sancti episcopi Bonifacii, talem sibi locum esse a Domino revelatum. Tunc circumquaque iens, per singula quae adspiciebat, Domino gratias referebat; quanto longius et latius gradiebatur, tanto amplius gratulabatur. Cumque ibi loci pulcritudine delectatus, non modicum diei spatium gyrando et explorando exegisset, benedicto loco et diligenter signato, gaudens inde profectus est.

Igitur vir Dei secundo die ad Hersfelt perveniens, socios ibi suos sanctis insistere precibus reperiebat. Loci reperitionem quibus referens, eos illuc profecturos secum properare imperavit. Subito ipse, petita a fratribus oratione, ad Seleheim, petiturus episcopum, profectus est. Ad quem cum ambulando post dies paucos pervenisset, atque ab eo benigne esset susceptus, repertum ei locum laudando referre coepit. *Aestimo,* ait, *dilectum tibi locum nunc esse repertum.* Cumque ei loci illius statum et qualitatem terrae et aquae decursum, quae usque hodie monasterio sufficiunt, revelasset, satis alacrem reddidit episcopum; pariterque gratulantes et Domino gratias referentes, suave colloquium inter se de vita et conversatione monachorum diutissime habuerunt.

Post dulces sermones sanctus episcopus retento parumper penes se solitario suo, diligenter eum sanctis instruere curavit sermonibus, et sacris scripturae sententiis ad monasticae vitae amorem incitare. Sic enim uberiore doctrinarum fonte irrigatum et plurimis sanctae scripturae admonitionibus confortatum, ad eremum eremitam suum Sturmum abire sanctus permisit

Digitized by Google

episcopus; ipse vero ob confirmationem reperti in eremo loci ad palatium regis profectus est. Sturmus autem postquam ad suos pervenit in solitudinem socios, et se ad locum quem repererat cum fratribus voluisset conferre, et nono iam tunc ex quo in eremo habitare coeperat anno ab Hersfelt regressus est, invidus omnium bonarum rerum diabolus, pertimescens servorum Dei in solitudine conversationem, malorum hominum mentes instigabat, ut sanctum servis Christi contradicerent locum. Sancti vero servi Dei cum pravorum hominum obstinationes, immo zabuli adversitates, ferre necdum possent, diverterunt inde, et secesserunt in locum qui dicitur Dirihlari.

Sanctus quoque Bonifacius episcopus, ut praefatus sum, ad Karlomannum Francorum regem perrexit, et humiliter sapienterque ad eum locutus est. *Ad perpetuam,* inquit, *remunerationem vestram cogito, si Deus omnipotens voluerit, et vestrum adfuerit auxilium, in orientali regno vestro monachorum vitam instituere, et monasterium fundare, quod praeteritis temporibus ante nos nemo inchoavit. Unde nunc vestrum in hoc pium poscimus adminiculum, quatenus vobis immarcessibile munus coram altissimo rege Christo in futuro et infinito maneat regno. Habemus enim in solitudine, quae Bochonia nuncupatur, iuxta fluvium qui dicitur Fulda, locum aptum servis Dei inhabitandum repertum, qui ad vestram pertinet ditionem. Nunc vestram pietatem poscimus, ut nobis locus ille donetur, quatenus in eo per vestram defensionem Christo servire queamus.* Quo audito, rex nutu Dei gavisus est, et congregans omnes principes palatii sui, petitionem episcopi collaudans indicavit, atque coram eis episcopo sancto locum quem postulaverat tradidit, dicens: *Locum quidem quem petis, et qui ut adseris Eihloha nuncupatur, in ripa fluminis Fuldae, quidquid in hac die proprium ibi videor habere, totum et integrum de iure meo in ius Domini trado, ita ut ab illo loco undique in circuitu ab oriente scilicet et occidente, a septentrione et meridie marcha per quatuor milia passuum tendatur.* Porro rex iussit chartam suae traditionis scribi, quam ipse propria manu firmavit; et misit nuntios suos, ut congregarent omnes viros nobiles qui in regione Grapfelt commorassent, ut eos regis sermonibus rogassent, ut omnis quicumque

Digitized by Google

in loco illo aliquid proprium videretur habere, quemadmodum fecit rex, ita et ipsi tradendo facerent. Cumque ad condictum diem omnes fuissent congregati, advenientes regis nuntii: *Omnes vos*, inquiunt, *rex suis salutare praecepit sermonibus; poscebatque et imperabat, ut omnis qui aliquid proprietatis visus fuisset habere in loco qui dicitur Eihloha, servis Dei inhabitandum totum traderet.* Qui cum hoc audissent, nutu Dei statim cum omni diligentia, quidquid ibidem habere potuerunt, viro Dei Sturmo totum tradiderunt.

Igitur hac traditione undique firmata, et loco illo de iure hominum in ius Domini tradito, beatus Sturmus in Dryhlar perrexit ad fratres; inde non post multos dies surgens, adsumtis fratribus secum septem, commigravit ad locum, ubi nunc sanctum situm est monasterium, et anno incarnationis Christi septingentesimo quadragesimo quarto, regnantibus in hac gente Francorum duobus fratribus Karlomanno atque Pippino, indictione XII., mense primo, duodecimo die mensis eiusdem, sanctum et a Deo dudum praedestinatum ingressus est locum. Dominum Christum illum semper tueri et sua invicta potentia defendi implorabant, sanctis Domino psalmodiis et leiuniis vigiliisque et orationibus die noctuque famulantes, silvas caedere et locum mundare proprio labore, in quantum praevaluerunt, studebant. Expletis autem duobus mensibus, venerandus ad eos archiepiscopus Bonifacius congregata hominum multitudine perrexit; conspectis cunctis locis illius commodis et utilitatibus immensis exploratis, in Spiritu sancto exsultabat, grates Christo referens et laudes, quod servis suis talem in eremo tribuere dignatus est habitationem. Hominibus vero, qui cum eo venerunt in locum, ubi ei et servis Dei pariter cum eo visum est ecclesiam ponere, silvam exstirpare et frutecta quaeque caedere imperavit; ipse se in montem qui usque hodie Mons episcopi appellatur contulit, ubi iugiter Dominum orabat, et ibi sacris libris scrutando insudabat; et propter hoc monti vocabulum indidit. Post unius septimanae impletionem, dirutis innumeris silvis et arboribus, et rase [1]) ad calcem faciendam composita, episcopus benedictis fratribus et loco Do-

[1]) Vox germanica *Rasen* = cespes.

Digitized by Google

mino commendato, cum operariis cum quibus venerat inde migravit. Altero autem anno sanctus episcopus iterum illuc properans, ad novellum coenobium pervenit suum; quod iam tunc propter meatum fluminis Fuldae vocari inchoaverat. Visis fratribus salutatisque, penes ipsos complures explevit dies, in quibus novellos monachos suos instruere curavit, et monasticae regulae disciplinas secundum sanctae scripturae traditionem statuere apud ipsos non cessabat. Qui cum fratribus sacras exposuisset scripturas, et quod nusquam vinum monachorum legeret esse, consensu omnium decretum est, ut apud illos nulla potio fortis quae inebriare possit, sed tenuis cerevisia biberetur. Quod post plures annos, crescente familia, propter aegrotos et imbecilles tempore Pippini regis synodali decreto immutatum est; aliqui tantum ex fratribus usque ad finem vitae suae se a vino et ceteris fortibus potionibus abstinuerunt. Post non multum secrete habito cum Sturmo colloquio, quo eum, qualiter praeesse ceteris deberet, docuit, et post uberrima documenta et monita, quibus fratres qualiter obedire et subesse deberent imbuit, salutatis ipsis Christoque eis commendatis, inde profectus est. Sic vero solebat saepe illos visitare ipse, et per singulos annos, quantis vicibus licuit propter episcopalem curam, quam plurimam habebat in populo, venire et morari apud locum illum, et propriis manibus operari studebat, et saepe in dilecto sibi monte superius dicto mysticas scrutando scripturas et Christum familiariter orando insidebat.

Porro cum fratres regulam sancti patris Benedicti inhianter observare desiderassent, et ad monasticae disciplinae normam sua corpora mentesque toto annisu inclinassent, consilium utile inierunt, quatenus aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur monasteria, ut fratrum ibi concordiam et conversationem regularem perfecte discerent. Quod cum sancto fuisset indicatum episcopo, prudens illorum collaudavit consilium, et hanc legationem studiose Sturmo iniunxit. Qui praeparatis itineris necessariis, adsumtis secum duobus fratribus, quarto ad locum praedictum ingressionis anno Romam profectus est, atque in illa terra cunctis monasteriis lustratis, et omnium mores conversationesque ibi fratrum consistentium traditionesque monasteriorum ad plenum discens, integrum annum

Digitized by Google

apud illa monasteria perseverans, secundo inde anno, repletus quibus viderat virtutibus, regressus est. Cum ad hanc, Domino opitulante, terram perveniret, correptus morbo, apud Chitzzinga monasterium hebdomadas quatuor aegrotavit. Tunc ex infirmitate convaluit, et ad episcopum Bonifacium, qui tunc forte in Turingia fuit, perrexit. Quo viso, nimium episcopus gavisus, et Domino adventus sui grâtias referens, multum ab illo de regionibus quibus venerat percontatus est; et dum eum prudenter mores gentis illius et disciplinas monachorum referre agnovit: *Vade*, inquit, *et novellum monasterium Fuldam ad instar morum monachorum quorum ibi vitam contemplatus es, quantum quiveris, instituas.* Statim vir beatus Sturmus, petita ab episcopo benedictione, perrexit ad eremum, gratusque suis ad vivendum fratribus die quarto advenit; quibus ea quae in Italiae partibus et Tusciae provinciae monasteriis a sanctis patribus didicerat, et verbis prudentibus promsit, et exemplis in semetipso monstravit. In omni enim disciplina, quam fratribus proposuit, prius semetipsum exercere curavit, ne forte quispiam de illo dicere potuisset: *Cur haec quae doces, ipse non facis?* Desiderium tunc ingens inerat fratribus ad omnia quae eis dicta vel ostensa fuerant sanctorum exemplis semetipsos toto adnisu aptare, et regulam sancti Benedicti, quam se implesse promiserant, ad omnia observabant. Annos sic plurimos in sanctis moribus degentes, monasterium adventatione multorum crescebat, quoniam multi ad serviendum Domino se ibi et suas possessiones tradiderunt. Crescente ita familia Christi et loco multiplicari inchoante, fama illius bona in universas provincias diffunditur, et rumor eximius per longe posita monasteria ad omnium sanctorum fratrum pervenerat aures. Cumque plurima illic monachorum congregatio sub sanctae regulae disciplina districtam duceret vitam, sanctus eos visitare episcopus per plura studuit tempora, misertusque illorum paupertatis, aliquas ei villulas ad exquirenda cibi necessaria tribuit.

Anno decimo postquam ad sanctum commigravit locum, sanctus archiepiscopus Bonifacius, inito cum rege et ceteris christianis consilio, ad ulteriora Fresonum loca paganico ritui dedita ingressus est, ingentemque ibi multitudinem hominum Domino docendo et baptizando adquisivit; inde post multum

Digitized by Google

temporis migrans, sospes ad suas in Germaniam pervenit ecclesias. Sequenti vero anno iterum ad aquosa Fresonum pervenerat arva, coeptum opus praedicationis implere desiderans. Quo cum pervenisset, et die quadam ad suam doctrinam populum convocasset, venerunt unusquisque de loco suo, non quasi humiliter ad verbum Domini audiendum, sed spiritu maligno inflati, cum infestis armis ad sacra sermonis Domini festa proruunt, et sanctum Christi antistitem ferro trucidarunt, omnemque eius comitatum gladiis necaverunt. Episcopo vero et ceteris quam pluribus cum eo martyrio coronatis, ex superiore Fresonia, a Trech scilicet coenobio, fideles venientes fratres, rapuerunt corpora sanctorum martyrum, et ibi in sepulcris alia posuerunt, alia vero adsumentes secum, sancti videlicet Bonifacii episcopi et sanctorum, qui cum eo pariter passi sunt, presbyterorum et diaconorum, et unius episcopi nomine Eoban; cuius corpus adsumentes, caput eius ab hostibus abscisum reperire non poterant. Quo cum pervenerunt, sancti episcopi Bonifacii in minore, quae eis vicinior erat, ecclesia cum grabato, quo navi ferebatur, statuerunt; cetera martyrum corpora sepulturae tradiderunt. Tunc omnes loci illius habitatores concilium grande inierunt, quatenus penes eos in loco illo sancti martyris Bonifacii corpus deinceps omni tempore quiesceret; magnum utpote adminiculum sibi fore, si tanti martyris protectio tueretur. Ieiuniis et orationibus indictis, ut sanctus martyr apud eos sibi manere dignaretur, Dominum orabant, et locum ei ad quiescendum honorifice in basilica maiore praeparabant. Sanctus vero martyr ad locum in solitudine, quem ipse sibi nutu Dei eligebat, corpus suum deferri voluit, quod statim claruit. Quod dum vellent ad alteram portare ecclesiam, et ibi in sarcophago ponere, accedentes manus suas in feretrum miserunt, nec levare potuerunt; multo plures alii se adiungentes, nec sic quidem feretrum, in quo sanctum cadaver iacebat, movere quiverunt.

Intellexerunt ergo, eius non esse voluntatem, ut in eodem loco maneret; sed eum ad Mongontiam civitatem debere deferri pronuntiabant. Protinus grabatum absque ulla difficultate levantes, ad flumenque portantes et puppi imponentes, per Rheni alveum navim trahere, et superiora petere coeperunt.

Digitized by Google

Quo audito, Sturmus de Fulda coenobio in eremo constituto cum festinatione obviam venire curavit, et cum eis pariter perrexit, donec prospero et levi transitu ad Mongontiam urbem pervenerunt. Sacerdotes statim et omnis clerus urbis illius accedentes, sancti martyris corpus adsumentes, in basilicam suam cum honore posuerunt. Universi tunc sacerdotes et clerici et populus omnis consona pariter voce dicebant, fas non esse, ut sanctus Dei martyr alium deferatur in locum; sed ubi episcopalem sedem vivens habuit, ibi etiam oportere eum corpore quiescere. Insuper etiam de palatio a rege nuntius venit, qui dicit regem imperasse, ut sancti martyris corpus in civitate eadem, si ipsius esset voluntas, poneretur. Sturmus vero et qui cum eo de eremo convenerunt, constanter dixerunt, quod sanctus episcopus plerumque apud eos manens, et locum eis ubi corpus suum posuissent demonstrarit, et quod absque dubio ibi in solitudine voluisset corpore quiescere. Interea vero dum in hunc modum contenderent, et Lullus, episcopus civitatis illius, omnimodis voluisset prohibere, ne beati martyris corpus ad solitudinem perveniret, nocte per visionem cuidam diacono sanctus adstitit episcopus: *Cur me*, inquiens, *tardatis ad locum meum Fuldam deferre? Surgite*, ait, *cito, et propere me in solitudinem ad locum, quem mihi praedestinavit Deus, perducite.* Qui consurgens, visionis quae ei fuerat ostensa ordinem primo Sturmo, deinde primatibus cunctis narravit. Nimio tunc omnes terrore correpti, ultra sancti martyris inde transitum contradicere timuerunt. Lullus tamen, qui illic erat episcopus, revelationem sancti martyris credere prius nullatenus voluit, quam is, qui visionem viderat, manum sacro altari imposuisset, et cum iuramento hoc quod viderat confirmasset. Tum vero secundum Domini potentiam, cuius voluntati contrairi non potest, beati martyris corpus cum summo honore levatum est, atque cum spiritali carmine ad flumen portatum et navi impositum, et usque ad Hohheim villam, quae in ripa Moyn consistit, navigio transvectum est; inde vero post dies paucos, id est tricesimo passionis eius die, ad coenobium Fuldam sanctum sacerdotis deportaverunt cadaver, et in novum sepulcrum posuerunt. Postero die Lullus episcopus cum clericis et reliqua turba, cum qua venerat,

Digitized by Google

inde migravit. Venerandus tunc Sturmus abbas cum suis fratribus Christo gratias referebant, quod tantum patronum, sanctum videlicet Bonifacium Dei martyrem, iuxta se habere meruerunt. Coepit deinde post adventum sancti martyris sanctus electus et electus a Deo crescere locus, et magnus apud omnes haberi, et monasterium augeri, utpote quoniam multi nobiles certatim et concite properantes, se suaque omnia ibi Domino tradiderunt. Sic quotidie sanctus monachorum numerus crescens, in Domino confortabatur, et sanctae conversationis disciplinam indefessa et incessabili perseverantia fratres ibi Domino servientes tenuerunt. Quanta vero miracula ibi tunc fiebant, quantaque adhuc quotidie fiunt, aliis plus peritis ad scribendum derelinquo.

Sturmus autem amabilis omnibus in monasterio et foris in populis mirandus, ministerium suum studiosissime exercuit, prius semper semetipsum exemplum proponens ceteris, quod verbis docuit factis ante monstrabat. Lullo tantum fama eius bona displicuit, et semper propter invidiam adversus eum faciebat. Qui cum verbum Domini instanter ubique praedicasset, et eum diligenter omnes auscultassent, hostis humani generis invidus tantam in plebe utilitatem non sustinens, discordias inter fratres seminare coepit, et trium falsorum fratrum mentes instigabat, ut fallaces causas componerent, Sturmum vero, Dei servum et fidelem universis, apud regem Pippinum accusarent. Hi cum talibus suasionibus diaboli essent seducti, malo inter se consilio inito, in Lulli episcopi suffragium confisi perrexerunt ad regem, et beatum virum apud illum accusabant, crimen, nescio quod, de inimicitia regis obiicientes ei. Cumque vir Dei Sturmus illuc esset praesentatus, illorum falsitatem patienter sustinens, noluit se magnopere inde excusare, sed: *Ecce testis meus*, ait, *et conscius meus in excelso, et dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus!* Tunc pravorum praevaluit voluntas, iussitque rex Pippinus beatum tollere virum, et in exilium cum paucis suis mittere clericis, id est ad magnum coenobium, quod dicitur Iumedica, ubi ab abbate, qui illi monasterio tunc praefuit, et ab omnibus fratribus benigne et honorabiliter est susceptus, et ibi per biennium amandus omnibus exsulabat. Quod cum de Fuldae

Digitized by Google

coenobio audivissent fratres, et eis nuntiatum esset de abbate suo, qualiter abstractus erat ab eis, nimium permoti, et ultra quam dici possit contristati sunt. Magna quippe tunc erat conturbatio in domo Dei; alii volebant de monasterio exire, alii ad palatium pergere; alii ieiuniis et orationibus Deum omnipotentem exorabant, ut ipse eis per suam misericordiam subveniret. Tunc rumor eximius omnium aures et ora pariter compleverat, quod beatus Sturmus abbas a coenobio Fulda esset per consilium Lulli episcopi ablatus; omnes pariter graviter hoc ferebant, non erat in ista orientali plaga ecclesia, quae non eius plangeret exsilium.

Lullus interim obtinuit apud Pippinum regem, munera iniusta tribuendo, ut monasterium Fulda in suum dominium donaretur; acceptaque super illud ditione, abbatem ibi, qui sibi per omnia obtemperaret, constituit, quendam presbyterum scilicet suum, qui dicebatur Marcus; sed quoniam fratres animos suos ab illo propter prioris amorem avertebant, erat eis quasi extraneus, et non conveniebant mores ipsorum. Qua inconvenientia morum, licet corporibus simul habitassent, mentibus ab invicem disiuncti erant. Cumque in tali discordia degerent, et fratres semper meditarentur, qualiter iterum per Dei gratiam Sturmum abbatem suum adsciscere possent, Marcum quem inviti, Lullo faciente, super se abbatem acceperunt, eius ulterius controversiam ferre non valentes, bonum consilium inierunt, et eum abiecerunt, et ne illorum ulterius abbas fieret, unanimiter contradixerunt. Quo amoto, omnes fratres de monasterio voluerunt exire, et ad regis Pippini palatium pergere, abbatem suum a rege Sturmum postulare. Quod cum Lullus audiret, mitigare eos blandis persuasionibus studuit, promittens eis, ut ipsi sibi de propriis fratribus inter se abbatem, qui eis placeret, constituerent. Quod cum omnibus placuisset, fratres bonum ex ipsis omnino fratrem et vere Dei servum omnibus bonis moribus ornatum elegerunt, nomine Prezzoldum, quem ab infantia sua beatus Sturmus edocuit, et multum amavit illum, ipsum super se abbatem ordinaverunt, ad hoc tantum, ut illi cum ipso, et ipse pariter cum eis quotidie tractarent, quemadmodum cum adiutorio sancti martyris Bonifacii et cum omnipotentis Dei gratia ad hoc pervenire

Digitized by Google

potuissent, pristinum suum magistrum Sturmum a rege Pippino sibi concedi postularent. Ipse vero Prezzoldus tempus non modicum fratribus praefuit, et eos cum caritate adunatos habuit, cum eis pariter die noctuque mente pertractans, quemadmodum Christo favente magistrum et abbatem suum Sturmum revocare ad se per regis Pippini voluntatem possent.

Porro cum Prezzoldus de patre et magistro suo Sturmo profunde cogitaret, et sancti fratres cum eo de absentia eius multo moerore afficerentur, Dei omnipotentis praesidium continuis precibus postulabant, ut ipse, cui nihil impossibile est, per suam invictam potentiam praestaret, quatenus ad eos illorum magister venire permitteretur. Quod cum per se diutius fecissent, et omnes orientales ecclesias per omniaque monasteria servorum et ancillarum Dei in circuitu orationes incessabiles essent ad Deum pro eo, consolator humilium Deus preces exaudivit supplicantium; et quia hoc constituit ut postularetur, precibus fidelium annuens, suscitavit cor Pippini regis, ut de beato Sturmo cogitare coepisset, et eum de exsilio ubi erat, ad palatium suum adduci honorifice praeciperet. Qui cum adductus ad palatium concite fuisset, et ibi in capella regis per plures esset dies, Deum orans, exspectans, quid ei rex imperasset; contigit quadam die, ut in venationem rex pergeret, atque ut solitus erat, ad orationem primo diluculo veniret, et ceteri servi Dei post vigilias matutinas quiescerent; solus Sturmus vigilabat, et ingressum regis observans, ianuas ei ecclesiae aperuit, et cum claro lumine ad orationem ante eum ibat. Rex vero cum ad sacras aras Deum regem humiliter exorasset, erexit se, et alacri obtutu Sturmum intuitus: *Dominus*, dixit, *congregavit nos modo, et quid hoc fuit, quod monachi tui apud nos te accusaverunt, nescimus; et unde irati fuimus contra te, ignoramus.* Sturmus vero constanter ait: *Licet a peccatis immunis non sim, contra te tamen, o rex, delictum non feci.* At ille: *Sive*, inquit, *umquam aliquando contra me nequiter cogitaveris aut inique aliquid gesseris, Deus tibi totum dimittat, et ego ex meo corde ignosco, et deinceps esto*, ait, *in gratia et in amicitia mea omni tempore quoad vixero.* Tollensque manu sua de pallio suo filum, proiecit in terram, et dixit: *Ecce in testimonium perfectae*

Digitized by Google

remissionis filum de pallio meo proiicio in terram, ut cunctis pateat, quod pristina deinceps adnulletur inimicitia. Ita pacati firmiterque in amicitia fundati, rex iter quod coeperat arripuit.

Igitur post tempus breve Prezzoldus et reliqui fratres de monasterio Fulda, comperientes quod amandus illorum magister Sturmus in gratia et in amicitia domini regis esset receptus, cogitaverunt ad palatium ire, et regem deprecari pro magistro; miseruntque ad palatium, devote postulantes a rege abbatem suum eis dari, sicut omne quod Deus voluit fieri, facile et absque labore evenit. Rex vero petitiones fratrum benigne suscipiens, venerandum Sturmum abbatem ad illos se mittere promisit; quod per multas orationes servorum et ancillarum Dei fieri credimus. Post non multum temporis spatium rex vocari ad se Sturmum iussit, eique monasterium Fuldae quod prius habuit, ad regendum commendavit, absolutumque ab omni dominio Lulli episcopi ad coenobium Fuldae eum cum omni honore ire praecepit, et cum suo privilegio quod beatus Zacharias papa, summus apostolicae sedis pontifex, dudum sancto tradidit Bonifacio, monasterium regeret; quod privilegium usque hodie in monasterio fratres conservatum habent; quod etiam causam suam et monasterii defensionem a nullo alio quaereret, nisi a rege, imperavit. Accepta a domino rege potestate, cum privilegio supradicto, quod de manu regis acceperat, ad suum perrexit coenobium. Divulgatum tunc statim fuit per cunctas has provincias, Sturmum venturum fore ad terram hanc, et ubique servis Dei et ancillis per universa monasteria mox eius de exsilio reditus innotuit; qui omnes Christo immensas referebant grates. Fratres vero cum appropinquasse eum monasterio cognovissent, sumserunt crucem auream et reliquias sanctorum, et obviam ei a monasterio longius processerunt; salutatoque illo et his qui cum eo venerunt, cum spiritali carmine eum ovantes monasterium introduxerunt, et Dominum suum laudaverunt, qui eis diu optatum dedit abbatem; et facta est laetitia magna inter eos.

Ipse vero Sturmus studio magno deditus, quemadmodum initium faceret, coepit fratrum emendare vitam et mores cor-

Digitized by Google

rigere, et ministeria illorum monastica constituere, templum, id est ecclesiam, quod tunc habebant, ornare, et domos omnes monasterii recentibus columnis et grandibus trabibus novisque tectorum structuris corroboravit. Post autem non longum temporis cogitans, qualiter adimpleri potuisset quod sancta regula praefatur, ut artes diversae intra monasterium continerentur, ne forte propter aliquam necessitatem foris vagandi fratribus opus fieret, congregatis quantis potuit fossatoribus, et ut ipse erat acer ingenio, explorato passim cursu fluminis Fuldae, non parvo spatio a monasterio ipsius amnis fluenta a proprio abduxit cursu, et per non modica fossata monasterium influere fecit, ita ut fluminis impetus laetificaret coenobium Dei. Quantum illud opus fratribus profuit, quantamque utilitatem adhuc quotidie ministret, et cernentibus et utentibus manifestum est. Super sepulcrum vero beati martyris Bonifacii auro argentoque compositam statuit arcam, quam nos solemus *requiem* appellare; quam — ut tunc moris erat — pulcro opere condidit; quae usque hodie super tumulum ipsius Christi martyris cum altari aureo perseverat.

Verum quia vir iustus et Deo perfectus apud universos magnus et maxime apud Pippinum regem habebatur, impetravit suis apud ipsum regem sermonibus — habebat enim locum familiaritatis non modicum — ut fiscum id est Omunstat cum omnibus quae in illa villa antiqui reges possidebant, ad supradictum saepius monasterium in suam eleemosynam condonaret, atque per conscriptam chartam, sicut mos fuit, firmaret. Mortuo autem Pippino anno ab incarnatione Domini septingentesimo sexagesimo octavo, sui vero regni vigesimo tertio, Carolus filius eius patri successit in regnum. Cum ergo ipse rex iuvenis cunctos qui patris sui prius honoribus praediti erant, grandibus muneribus in gratiam suam provocaret, accersivit quoque venerandum abbatem Sturmum, illumque intimis amicitiis sibi coniunxit; quem cum multis saepe honoribus atque regalibus munificavit donis. Quodam tempore immisit Dominus in cor eius, ut pro intuitu retributionis aeternae tractare coepisset, vocatoque ad se Sturmo abbate, consilium cum eo iniit, et Hamelenburc cum omnibus, quae ad illum fiscum pertinent, potestativa manu de iure suo in ius Domini et sancti

Digitized by Google

Bonifacii ad coenobium Fuldae tradidit. Quam traditionem fratres gratantes suscipientes, Domino pro illius incolumitate preces usque hodie fundunt. Vixit deinceps sanctus Sturmus in gratia venerandi regis Caroli omne tempus vitae suae.

Illis quoque temporibus, suscepta legatione, inter Karolum regem Francorum, et Thasilonem Noricae provinciae ducem, per plures annos inter ipsos amicitiam statuit.

Regnante feliciter domino rege Carolo annos quatuor, Saxonum gens saeva et infestissima cunctis fuit, et paganis ritibus nimis dedita. Rex vero Carolus, Domino semper devotus, cum ipse christianissimus esset, cogitare coepit [1]), qualiter gentem hanc Christo adquirere quivisset. Inito servorum Dei consilio, poposcit, ut precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congregato tam grandi exercitu, invocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, adsumtis universis sacerdotibus, abbatibus, presbyteris et omnibus orthodoxis atque fidei cultoribus, ut gentem quae ab initio mundi daemonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite et suave Christi iugum credendo subire fecissent. Quo cum rex pervenisset, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus, maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi convertit; et post non longum tempus totam provinciam illam in parochias episcopales divisit, et servis Domini ad docendum et baptizandum potestatem dedit [2]). Tunc pars maxima beato Sturmo populi et terrae illius ad procurandum committitur. Suscepto igitur praedicationis officio, curam modis omnibus impendit, qualiter non parvum Domino populum adquireret. Sed temporibus instabat opportunis, sacris eos sermonibus docens, ut idola et simulacra derelinquerent, Christi fidem susciperent, deorum suorum templa destruerent, lucos succiderent, sanctas quoque basilicas aedificarent.

Quo cum multum temporis praedicando et baptizando cum suis presbyteris peregisset, et per regiones quasque singulas ecclesias construxisset, iterum postea Saxonum gens prava et perversa a fide Christi devians, vanis se erroribus implicavit,

---

[1]) Anno DCCLXXII.
[2]) Anno DCCLXXVII.

Digitized by Google

congregatoque exercitu ultra fines suos egressa est, et usque ad Rhenum vastando et depopulando cuncta pervenit [1]). Cumque inde reversi essent, infesta caede quoscumque invenire potuerunt trucidarunt. Quorum cum exercitus in Loganacinse [2]), quod prope supradictum coenobium iacet, consedisset, conspiraverunt, ut lectam virorum multitudinem de exercitu ad ipsum monasterium mitterent, et cuncta quae reperirent, igni comburerent, et servos Dei ferro trucidarent. Quod cum comperisset sanctus Sturmus, statim vocatis ad se fratribus, periculum quod eis imminebat innotuit, et consilium dedit, ut sancti martyris corpore adsumto, ad Hamelanburg properarent. Ipse vero vir Dei Sturmus foras in Wedereiba perrexit, studium habens, si quo modo posset pravorum conspirationem cohibere. Nos autem fratres, discipuli eius, adsumto sancti martyris corpore de sepulcro, in quo annos viginti quatuor positum fuerat, a monasterio cum universis famulis Dei proficisci coepimus. Mansimus prima nocte ad proximam cellam, ubi Fuldae alveo Fledenae fluenta se miscent; inde surgentes mane, ad ulteriorem pervenimus Sinnam, ibique fiximus tentorium, in quo sacratissimum Christi martyris statuimus corpus, et in circuitu milites Christi castra metati sunt. Ubi cum in tabernaculis tres exegimus noctes, quarto iam die legati nostri venerunt, qui referebant, de parte et gente nostra nonnullos congregatos contra Saxones bellum iniisse, illosque victos ad proprias aufugisse terras. Quod cum audivissemus, sacra beati martyris ossa sustulimus, et gaudentes ad monasterium, unde digressi sumus, revertebamur, et Dei martyris sancta sepulcro quo prius inerant ossa humavimus, Christo domino gratias referentes, quod pace concessa, nostro monasterio inhabitare sineremur.

Tunc iterum rex Carolus ad confirmationem inchoatae fidei christianae cum exercitu ad illam terram perrexit, et venerandum Sturmum infirmum, iam senectute fessum, in Heresburg [3]) ad tuendam urbem cum sociis suis sedere iussit. Dispositis secundum voluntatem suam universis, rex cum redi-

[1]) Anno DCCLXXVIII.
[2]) Pagus Lahngau.
[3]) Hodie urbs *Stadtberg* sive *Marsberg* ad Dimolam sita.

Digitized by Google

ret, sanctum virum paucos dies post reditum suum in supradicta urbe sedere imperavit. Quo dierum numero expleto, ad monasterium vir Dei rediit, habito secum medico domini regis Karoli, cui nomen Wintarus, qui eius subveniret infirmitati. Dum vero quadam die artis suae ei, nescio quam, potionem infuderat, cum qua minuere debuit infirmitatem, sed ita auxit, ut validius et acrius ei lues acerba augeretur. Et anxius dicere coepit, quod ei medicus, qui minuere morbum debuerat, malum grande irrogasset. Currere citius ad ecclesiam iubet, omnes gloggas [1]) pariter moveri imperavit, et fratribus congregatis obitum suum cito adfuturum nuntiare praecepit, et pro se enixius orare postulavit. Congregata prius omni familia, domum in qua ipse iacebat, eam introduci fecit, atque omnem congregationem his verbis adorsus est: *Vos*, inquit, *o fratres, studium meum cognovistis; qualiter usque in hodiernum diem pro vestra utilitate et pace laboravi, et hoc maxime curavi, qualiter istud monasterium post obitum meum perseverare in voluntate Christi valeret, et vos istic Domino servire sincere cum caritate quiretis, o filii. Nunc vero in concepto proposito omnes dies vitae vestrae perseverate. Deum altissimum pro me orate, et si quippiam prave ex humana fragilitate apud vos egi, vel aliquem iniuste offendi, ignoscite mihi; et ego cunctis ex intimo corde omnia convicia et omnes contumelias meas ignosco: nec non et Lullo, qui mihi semper adversabatur.* Post ista et alia nonnulla bona verba fratribus valedicens, dimisit eos. Egressis ergo fratribus, coepit vir sanctus acriter languescere, et ad suprema perurgeri. Erat universis moeror, et tristitia magna animos obsidebat fratrum, qui solius Dei lacrymabile voce misericordiam implorabant, et obitum sancti ac venerandi abbatis sui Sturmi maximis Domino commendabant precibus.

Altera autem die, id est XVI. Kal. Januarii, ingravescente languore ad extrema deductus est. Circumstantibus vero nobis et videntibus eius celerem fore exitum, aliquis e nobis exorsus est: „*Pater*, inquit, *nos non ambigimus te ad Dominum migraturum, et ad vitam pervenire perennem; quapropter paternita-*

[1]) Id est campanas = Glocken.

Digitized by Google

tem tuam deprecamur, ut nostri memorari digneris, et ibi pro discipulis tuis Domino preces fundere; quoniam multum confidimus, nobis profuturum, quod talem praemittimus patronum. Qui subito intuens nos: *Exhibete*, inquit, *vosmet ipsos dignos, et tales estote in vestris moribus, ut rite valeam pro vobis orare; et ita faciam quod postulatis.* Post vero verba haec sancta illa anima carne soluta est, et de ergastulo corporis erepta, bonis meritis repleta migravit ad Christum, cuius in perpetuum permanet regnum. Amen."

Hisce, quae ab Eigile memoriae tradita sunt, pauca esse adiicienda existimo, quae pertinent ad originem ecclesiarum episcopalium, quas Carolus M. in Saxonia constituit. Quod Eigil tradit, *Saxoniam a Carolo M. in parochias episcopales divisam esse,* iam ex verbis adiectis: *et servis domini ad docendum et baptizandum potestatem dedit,* plane sequitur, *parochias episcopales* hoc loco minime significare *dioeceses* sive *episcopatus.* Ea verba ita potius interpretanda sunt, ut dicamus, Carolum M. cuique episcopo et abbati eius exercitum comitanti, aliquam Saxoniae partem designasse, in qua doctrinam christianam curaret praedicandam. Hoc ita esse testantur etiam verba: *Tunc pars maxima beato Sturmo populi et terrae illius ad procurandum committitur.* Postquam autem s. Sturmus anno DCCLXXIX. ex vita decessit, haec res aliter ordinanda erat, ne doctrinae christianae propagatio ex eius morte quid detrimenti caperet. Itaque testantibus Annalibus Laureshamensibus Carolus M. anno DCCLXXX. iterum Saxoniam *divisit inter episcopos et presbyteros seu et abbates, ut in ea baptizarent et praedicarent.* Sed etiam haec verba eadem ratione interpretanda sunt, qua supra Eigilis verba explicavimus. Id enim testantur non solum verba: *ut in ea baptizarent et praedicarent,* sed etiam ex eo patet, quod ante finem saeculi octavi nullus in Saxonia episcopus exsistit [1]).

[1]) Plura de hac re disseruimus in: *Katholische Zeitschrift,* Münster, 1851.

Digitized by Google

VII.

S. Ludgerus,

primus Monasteriensis episcopus et Westfalorum Frisiorumque apostolus.

Refertur cum titulo sancti apud complures scriptores, imprimis in martyrologio Romano ad diem XXVI. Martii, hisce verbis: *Eodem die s. Ludgeri, episcopi Monasteriensis, qui Saxonibus evangelium praedicavit.* Vita eius primum conscripta est a b. Altfrido, s. Ludgeri consanguineo eiusdemque dioecesis episcopo tertio, quae commentario illustrata typis expressa est apud continuatores Bollandi ad diem supra dictum et apud Pertzium, Mon. G. II. Altera s. Ludgeri vita monacho cuidam Werthinensi post annum DCCCLXIV. scribenti debetur, quae maximam partem sumpta ex vita Altfridiana et cui nonnisi miracula aliquot adduntur. Tertia vita ex superioribus conflata a Surio edita est, et quartam, rhythmicam anno MCXL. monachi Werthinenses iussu Bernardi abbatis composuerunt. Ex quibus s. Ludgeri vitam conscribemus, postquam de rebus parum exploratis pauca praemissa sunt.

1. S. Ludgerus sacro diaconatus ordine Eboraci in Anglia initiatus est circa annum DCCLXVII., certe non prius, quia magister scholarum Eboracensium erat Alcuinus teste b. Altfrido, id autem scholarum regimen Alcuinus non prius suscepit, quam circa initium anni DCCLXVII., nam successit s. Egberto, Eboracensi archiepiscopo, quem anno DCCLXVI., decimo Calendas Decembres obiisse, docet Henschenius ad diem XIX. Maii ad vitam B. Alcuini. Neque consecratio illa diaconalis s. Ludgeri fieri potuit multo post annum, quem diximus, quia id aegerrime patitur series rerum, ab eo iam diacone, post autem presbytero gestarum, priusquam a Carolo Magno constitueretur doctor Saxonum.

2. Natum esse s. Ludgerum verisimile est circa annum DCCXLIV.; nam b. Altfridus refert, Ludgerum adhuc puerum a parentibus traditum esse Gregorio, ecclesiae Ultraiectensis administratori, et successori s. Bonifacii martyris; Gregorius autem iam ecclesiam coe-

Digitized by Google

pit regere anno DCCLV., quo s. Bonifacius antecessor martyrio coronatus est. Accedit, quod s. Ludgerus, in vita s. Gregorii magistri sui scribit: *Successit Willibrordo s. Bonifacius, idem archiepiscopus et martyr, quem oculis meis ipse vidi candidum canitie et decrepitum senectute, plenum virtutibus et vitae meritis.* Haec autem cum anno accepti diaconatus non satis commode conciliari possunt, nisi dixeris, s. Ludgerum circa DCCXLIV. natum et circa annum DCCLVI., cum esset puer annorum duodecim, s. Gregorio traditum esse.

3. Patria s. Ludgeri fuit Frisia; locus autem natalis videtur fuisse Wiromum, germanice *Wirum*, pagus haud procul Doccumio situs, uti scribunt Furmerius l. III. Annalium Frisicorum et G. J. Vossius de historicis latinis l. II. c. 30.

4. Quod Altfridus refert, s. Ludgerum a Carolo Magno constitutum esse *Doctorem in gente Fresonum, ab orientali parte fluminis Labeki, super pagos quinque, quorum haec sunt vocabula, Hugmerchi, Hunusga, Fivilga, Emisga, Fediritga et unam insulam, quae dicitur Bant;* Labeki fluvius dividit Frisiam occidentalem a provincia Groningana hodieque appellatur germanice *Laurers;* quinque autem pagi supra memorati eam amplectuntur regionem, quae Groeningae oppido circumiacet.

Ex omnibus iis viris, qui tempore Caroli M., divino quodam ardore incensi, Westfaliae incolas ab erroribus gentilitatis revocaverunt eisque praecepta coelestis vitae tradiderunt, longe praestantissimus est deque patria nostra meritissimus s. Ludgerus, dioecesis Monasteriensis primus episcopus, qui iure meritoque vocatur Frisiorum et Westfalorum apostolus. Avus eius erat Wursingus, vir nobilis in gente Frisiorum et habitabat haud procul Ultraiecto. Quamvis doctrinam christianam nondum esset amplexus, erat tamen adiutor pauperum, defensor oppressorum, in iudicio quoque iustus. Qua de re contigit, ut magnas a rege crudeli Radbodo insidias pateretur, ita ut iuberet callide eum interfici et facultates eius tolli. Quare Wursingus una cum coniuge sua Adalgarda et filio uno, quem habebant, Nothgrimo nomine, occulte fugiens ad Grimoldum, ducem Francorum pervenit. Ab eo benigne exceptus, habitavit in regione Francorum, et imbutus fide catholica, baptismi consecutus est gratiam. Uxor vero eius in peregrinatione alterum ei genuit filium, nomine Thiatgrimum. Cum vero Radbodus infirmari coepisset, postulabat bis a

Digitized by Google

Wursingo, ut ad se rediret. Qui cum ipse redire nollet, misit filium Thiatgrimum ad eum, cui ille patris hereditatem restituit. Haud ita multo post, exstincto Radbodo, Frisia regno Francorum adiecta est.

„Post obitum vero patris, Thiatgrimus, iunior Wursingi filius, duxit uxorem nomine Liafburch, quibus natus est circa annum DCCXLIV. s. Ludgerus. Cum venisset autem Thiatgrimus, pater eius de quodam itinere et mater eius praegnans esset vicinaque partui, gestans in utero eundem futurum episcopum, audito quod vir eius veniret, immoderate gaudens properavit ad eum, et offenso pede corruit intravitque palus per latus eius et ablata est mortua, ita ut nullus putaret, eam vitae restituendam. Sed miserante divina clementia revixit spiritus eius et bene fuerat curata, in puero quoque post paucos dies edito nulla laesionis macula apparuit.“[1])

S. Ludgerum in Frisia, in qua terra eius parentibus magnae possessiones erant, in lucem editum esse constat; nec veri dissimile est, eorum sedem locumque, ubi s. Ludgerus natus sit, fuisse Wierum pagum etiamnunc haud procul ab urbe Doccumio situm. „Ut primum stare et ambulare potuit, praesagus futurorum puer non sine plurimorum admiratione visus est, iam tenuissimos arborum cortices et membranas colligere, iam atramentum et scribendi instrumenta comportare, iam libellos consuere, figurisque puerilibus completos quasi utiles libros custodiendos nutrici offerre. Si vero ab aliquo e circumstantibus interrogabatur, quid rerum egisset hodie, respondebat: *Scripsi et legi libros.* Interrogantibus, quo magistro et instructore huiusmodi artem edoctus esset, respondebat: *Hanc artem deus me docuit.*

Postquam ad iuveniles pubertatis annos pervenit, pro singulari affectu erga deum et res divinas instantissime flagitavit a parentibus, ut alicui viro sancto et in doctrinis spiritualibus versatissimo erudiendum se traderent: neque enim aliud vitae genus a se cogitari, quam ut aliquando in sacro levitarum ac presbyterorum ordine deo et proximorum saluti

---

[1]) Quae in hacce vita huiusmodi „ — “ signis inclusa sunt, Altfridi ipsa sunt verba, ex eius vita s. Ludgeri huc transscripta.

Digitized by Google

deserviret. Annuebant facile tam sinceris iteratisque filioli precibus devoti parentes, quippe qui iam pridem ex omni ipsius indole moribusque valde compositis spem sibi non exiguam percepissent, eum ad res omnino magnas a coelo destinatum esse. Et quoniam eodem tempore ecclesiam Ultraiectensem gubernare coeperat s. Gregorius, b. Bonifacii martyris discipulus et successor integerrimus, unanimi consensu statuunt, eidem filium suum credere omnibusque virtutum ac doctrinarum ornamentis excolendum tradere. Quapropter indicantur beato praesuli pia parentum desideria.

Quorum optatis cum is libenter responderet, Ludgerus ad collegium Ultraiectense mittitur, et „Gregorius, comperta pueri sagacitate, studiose eum erudiebat. Erant autem in illa Gregorii schola et alii condiscipuli nobiles et prudentes, a quibus Ludgerus admodum diligebatur, quippe qui esset iuvenis mirae mansuetudinis, vultu hilari, non tamen facilis in risu et in omnibus actibus prudentiam cum temperantia amplectens. Erat enim assiduus meditator divinae scripturae et eius praecipuae, quae ad laudem dei et ad doctrinam pertinet catholicam, quapropter a venerabili magistro velut unicus filius diligebatur." Cum autem iam eo, quod attinet aetatem ac literarum scientiam, perductus esset, ut ad sacrum diaconatus ordinem admitti posset; commodum advenit e regno Angliae venerabilis vir et ecclesiae Eboracensis presbyter Alubertus, labores apostolicos, qui iam non parvis progressibus in Frisia fervere coeperant, suis quoque laboribus viribusque adiuturus.

Opportunissimus huius adventus erat beato Gregorio, utpote qui per id tempus solum presbyteratus ordinem adeptus, ob varias difficultates pontificali sacerdotio potiri nondum potuisset. Et quia plurimis de causis necesse erat, episcopum aliquem in ea dioecesi saltem ut suffraganeum aut cooperatorem commorari, Alubertum in officii sui partem adsciturus, una cum Sigebodo et Ludgero in regnum Angliae remisit ad archiepiscopum Eboracensem, ut Alubertus episcopalem ab eo characterem acciperet, Sigebodus autem presbyterio et Ludgerus diaconatu sacro insignes fierent.

Ea occasione Ludgerus Eboraci mansit unum per annum singularemque amicitiam ac familiaritatem ingressus est cum

Digitized by Google

b. Alcuino, doctrinae spiritualis et omnium scientiarum fonte lucidissimo, qui tunc in Anglia scholarum Eboracensium director ac moderator erat, cuius conversatio tanta suavitate eum affecit, ut maximam de illius magisterio et sapientia existimationem caperet.

Postquam enim anni spatio praeterito Ultraiectum reversus est, cupiens se saturare praelibati dulcedine favi, ardentissimis precibus a Gregorio petiit licentiam ad Alcuinum magistrum redeundi: virum hunc incomparabili doctrina praeditum esse, nec sibi quidquam in terris gratius offerri posse, quam sub eius magisterio divinarum scientiarum studiis operam dare. At Gregorius petenti satisfacere noluit, neque tamen contristari, sed blandis sermonibus coepit compescere. Cum vero intelligeret, eum nullis argumentis a consilio semel capto posse revocari, iussit ad se vocari patrem eius rogavitque, ut suo saltem consilio voluntatem filii sui aliam in partem flecteret. Sed neque ille suis obsecrationibus potuit efficere quidquam apud filium: praesertim quod nuper in publica evangelii praelectione, propter errorem aliquem in latina quadam voce pronuntianda commissum coram universo populo correctus, graviterque reprehensus esset. Parentes eius et Gregorius tandem iteratis eius precibus evicti, comparatis rebus omnibus ad hoc iter necessariis, Eboracum eum remiserunt, ubi illustris magister Alcuinus eum suscepit cum magno gaudio. Erat consueto more omnibus carus, ut qui esset ornatus moribus bonis et studiis sanctis, brevique tempore omnium doctrinarum virtutumque ornamentis ita imbutus est, ut aliorum doctorem agere summa cum laude posset.

Mansit autem Eboraci annos tres et sex menses, et quantumvis cuperet diutius ibi manere, tamen inauspicato Frisii mercatoris facinore eam urbem relinquere coactus est. Occiderat enim ille, rixa exorta, filium alicuius comitis Britannici. Quam ob rem omnes Frisii, timentes iram propinquorum istius iuvenis, quam celerrime eam terram reliquerunt. Itaque etiam Ludgero suasit Alcuinus, ut cum ceteris Frisiis in patriam rediret, ne pro ultione interfecti iuvenis aliquas pateretur insidias. Dicebat enim Alcuinus, mori se potius velle, quam ut filio sibi tam caro aliquid accideret, vel eius capiti gravioris

Digitized by Google

mali procella incumberet. Itaque s. Ludgerus collectis illico rebus omnibus, quas vel attulerat, vel ibidem comparaverat, Alcuino suo valedicens, mari se commisit prosperoque cursu Ultraiectum relapsus est circa finem anni DCCLXXII. aut initium anni sequentis, ubi Gregorio et ceteris tanto dignior atque carior erat, quanto erat insignior scientiis et virtutibus.

Interim s. Lebuinus, de quo supra pluribus diximus, ad Gregorium venit, ab eo petens, ut se ad Isalam fluvium ad verbum dei praedicandum mitteret. Gregorius abbas misit eum libenter in eam regionem deditque ei socium Marcellinum, quorum opera multos Christo paratos esse famulos, supra vidimus. Post mortem vero s. Lebuini impii Saxones anno DCCLXXIV. iterum eam regionem vastaverunt atque succenderunt ecclesiam, quam s. Lebuinus aedificandam curavit. Quae clades uti bonis omnibus magno dolori fuit, ita etiam non modicam afflictionem attulit s. Albrico, qui b. Gregorio, cuius erat nepos, in episcopatu Ultraiectino successerat. Is ut vulneri, ecclesiae Daventriensi per Saxones illato, medelam afferret, s. Ludgero suasit, ut ecclesiae eius restaurationem susciperet et super corpus s. Lebuini ecclesiam reaedificaret. Dei igitur famulus Ludgerus, magistri iussis obtemperans, Daventriam statim profectus, quaesivit ibi corpus s. Lebuini, sed non invenit; intra spatium vero loci, ubi illud esse putabat, coepit construere ecclesiam. Cumque posuisset bases, et parietes conaretur erigere, apparuit ei sacerdos domini Liafwinus in somnis dicens: „Frater dilectissime Liutgere, bene fecisti restaurando dei templum, iam dudum deletum a gentilibus; sed et corpus quod quaesisti invenies sub australi, quem erexisti, pariete humatum.“ Liutgerus igitur mane, domini laudibus expletis, invenit corpus sancti in loco sibi in visione praedicto; et collecta multitudine, fecit transvehi bases eiusdem aedificii in partem australem, et ita infra ecclesiam collegit sepulcrum viri dei. Perfecta itaque est ipsa ecclesia et consecrata, quae nunquam deinceps a gentilibus est contaminata.“

Postquam tam feliciter hoc aedificium absolutum est, Albricus de aliis expeditionibus cogitare coepit: misit enim s. Ludgerum cum nonnullis aliis in Frisiorum fines, ut ibi destruerent fana deorum. Quod iussum non solum exsecuti

Digitized by Google

sunt illi, sed etiam magnum thesaurum retulerunt, quem invenerant in delubris. Duas eius partes accepit Carolus imperator, tertiam vero dedit Alberico ad suos usus. Magnam ea res existimationem b. Ludgero peperit: et quia etiam tunc erat diaconus, modis omnibus laboratum est, ut propediem sacerdotio potiretur, atque ita ad altiora animarum studia expeditior esset. Occasionem utrique huic proposito opportunam praebuit episcopalis consecratio b. Albrici: quae cum in urbe Coloniensi fieret circa mensem Augustum anni DCCLXXVII., etiam Ludgerus, itineris eiusdem comes, sacro presbyteratus ordine impertitus est, brevique post constitutus doctor ecclesiae Doccumensis in pago Ostrache, sive in magno illo Frisiae tractu, qui etiamnunc Oistergoa dicitur, complectiturque etiam Leowardiam aliaque oppida et vicos plurimos.

Nihil desideratius obtingere Ludgero poterat, quam ista praeclara statio, praesertim quod in eodem loco s. Bonifacius, Frisiorum apostolus, quem ipse puer virum canitie gravem et senio decrepitum viderat, glorioso martyrio pro Christi fide coronatus fuerat. Abiit igitur libentissime in Frisiam septemque fere annis docendo et praedicando totam provinciam illam ita excoluit, ut semina vitae, supernae gratiae rore irrigante in agris multorum cordium sereret et ingens multitudo gentium abiectis erroribus ad Christi gregem perducta sit. Intra breve tempus admirabiles in eo tractu morum hominumque mutationes animadvertebantur. Ubique triumphata iacebat superstitio, ubique erigebantur altaria et aedes deo sacrae, quin etiam canonicorum collegia et congregationes aliquae, e quibus opportuno tempore succedaneas operas advocare atque in suorum laborum partem adoptare posset.

Sed quod alias frequenter accidit, ut magnae res magnis passibus iterum in occasum ruant; etiam Ludgerus noster, saltem ad aliquod tempus, experiri debuit. Dum enim felicissimo cursu res omnes ipsi ad votum fluerent, Widukindus, Westfalorum dux, anno DCCLXXXIII., et quarto post acceptas iam clades, iterum consurrexit, et ingressus Frisiorum catholicorum provincias sacra omnia devertit. Ubique enim incendebantur templa, subvertebantur altaria, expellebantur sacerdotes, destruebantur canonicorum et clericorum collegia,

Digitized by Google

populus omnis ab extremis Westfaliae finibus aut mortem subire cogebantur aut alias in terras fugere aut Christi fidem deserere et immolare idolis iuxta morem pristini erroris. Necessitate igitur compulsus s. Ludgerus istas reliquit regiones, furori barbaro nonnihil cedens et interim continuato precum suffragio meliora tempora de coelo praestolans. Itaque abducto primum et securioribus in locis collocato suorum discipulorum grege, recessit in Italiam, sociis sibi sumtis Hildegrimo, fratre suo, et Gerfrido, nepote suo, qui postea in episcopatu Monasteriensi eius successor fuit.

Hanc vero peregrinationem suscepit eo consilio, ut visitaret imprimis beatorum apostolorum limina. Quae postquam veneravit, ad Hadriani pontificis alloquium admissus est, a quo non modo humanissime exceptus, sed etiam variis beatorum reliquiis donatus est. Inde ulterius ad Monasterium Casinense progressus, apud abbatem Theodamarum, cui sanguinis propinquitate coniunctus erat, aliquantisper commorari voluit, ut omnem regularis vitae et monasticarum exercitationum rationem disceret. Qua de causa eas non solum oculis suis inspexit, sed etiam assumto monachali cucullo coepit omnia suismet usibus experiri, quae ad religiosam familiae Benedictinae conversationem pertinent. Placebat autem ei maximopere tota illa vivendi ratio: et quamquam eo duci non potuit, ut ordinaria votorum professione regulari disciplinae sese adstringeret; consilium tamen cepit, eiusdem ordinis monasterium exstruendi, cum primum ab insano Saxonum tumultu maior securitas et quies foret.

Interea appropinquavit fortunatissimum tempus illud, quo Widukindus plurimis iam cladibus fessus, in gremium ecclesiae catholicae se recepit, acceptoque baptismatis sacramento diuturnis rebellationibus finem imposuit. De quibus rebus s. Ludgerus certior factus, ex Italia, ubi duos annos sexque menses commoratus erat, in Frisiam feliciter rediit. Prima redeuntis cura fuit ecclesiam Doccumensem, triennio derelictam, in priorem statum restituere. Quod ubi diurnis nocturnisque laboribus sollicitissime conaretur, Carolus M. imperator constituit eum doctorem in gente Frisiorum ab orientali parte fluminis

Digitized by Google

Labeki [1]) super pagos quinque, quorum haec sunt vocabula: Hugmerchi, Hunusga, Fivilga, Emisga, Fediritga, et unam insulam, quae dicitur Bant. Ipse vero cura sollerti, doctrinae domini gregi sibi tradito fluenta ministrare studuit, fana destruere et omnes erroris pristini abluere sordes. Mirum est, quomodo vir unus cum exiguo sociorum ac discipulorum suorum grege sufficere potuerit huic terrarum tractui, qui ab Ostergoa, per territorium Groninganum usque ad Amisiae ostia latissime protensus est. Et tamen unius alteriusve anni spatio tam feliciter conversa est illa regio, ut iterum alias et alias regiones circumspiceret, quas Christo et ecclesiae lucrifaceret. Ante alias praecipue memoranda est insula quaedam, in qua a. s. Willibrordo iam pridem doctrinae christianae praecepta praedicari coepta erant, sed exiguo cum fructu. Fosetistandiam appellarunt veteres eam insulam ab idolo Fosetis; nunc autem Helgoland i. e. insula sanctorum appellatur. Caroli Magni imperatoris consilio s. Ludgerus magnis animis procurrit ad navigia eum in finem praeparata. Insulae ei „cum navigando appropinquasset, tenens in manu sua crucem, et ad dominum preces cum laudibus fundens, viderunt, qui cum eo in navi erant, caliginem tenebrosam de eadem egredientem, qua recedente, magna in ea serenitas perstitit. Tunc vir dei ait: Videtis, qualiter per misericordiam dei effugatus est inimicus, qui prius caligine occupaverat insulam hanc. Pervenientes autem ad eam insulam, destruxerunt omnia eiusdem Fosetis fana, quae illic fuere constructa et pro eis Christi fabricaverunt ecclesias. Cumque habitatores terrae illius fide Christi imbueret, baptizavit eos cum advocatione sanctae trinitatis in fonte, qui ibi ebuliebat, in quo s. Willibrordus prius tres homines baptizaverat, a quo etiam fonte nemo prius haurire aquam nisi tacens praesumebat. Cuiusdam etiam eorum principis filium, Landricum nomine, accepit a fonte, quem sacris literis imbutum, ordinavit presbyterum, qui multis annis genti Fresonum in doctrinae praefuit studio."

Dum s. Ludgerus insulae illius incolas Christi acquirere

[1]) Germanice iam vocatur hic fluvius *Lauwers*, et influit in sinum, qui ab eo fluvio nomen traxit.

Digitized by Google

studet, iterum ab orientalibus Fresonibus nox infidelitatis magnae fuerat exorta, et combustae sunt ecclesiae servique dei repulsi; sed radiante sole iustitiae, effugatae sunt tenebrae radiantis erroris, ita ut post anni circulum s. Ludgerus cum suis prisca consuetudine fiducialiter plebi illi pabula fidei ministrare non desisteret et domino opitulante, in ea, quam tunc receperant, perseverabant fide."

Interim Carolo Magno contigit, ut Saxones devinceret. Widukindo enim duce ad religionem christianam converso, plurimi Saxonicae gentis eius exemplum secuti sunt. ita ut Francorum rex consilia posset capere doctrinae christianae in Saxonia promulgandae ac stabiliendae accommodata. Itaque s. Ludgerum pastorem in occidentali parte Saxonum constituit. Cuius parochiae sedes erat principalis Mimigerneford[1]), ubi domino ipse honestum construxit monasterium sub regula canonica domino famulantium. Quapropter idem locus inde vocabatur *Monasterium*, hodie *Münster*. Caeterum animadvertendum est, vocabulum *monasterium* hoc loco nihil aliud significare nisi aedificium, in quo complures sacerdotes una cum s. Ludgero cohabitabant, et vocabulo *pastoris* eam inesse vim, ut significet sacerdotem, quamvis consecratione episcopali carentem, potestate tamen episcopali instructum.

Postquam autem s. Ludgerus episcopali auctoritate exornatus, occidentali Saxoniae parti i. e. iis regionibus cis Rhenum sitis, quas adhuc dioecesis Monasteriensis complectitur, a Carolo M. praefectus est, „more solito cum omni aviditate et sollicitudine rudibus Saxonum populis studebat in doctrina prodesse, erutisque idololatriae spinis, verbum dei diligenter per loca singula serere, ecclesias construere et per eas singulos ordinare presbyteros, quos verbi dei cooperatores sibi ipsi nutriverat." Suo autem munere ita fungebatur, ut nunquam illius vox et animus ab evangelicis occupationibus conquiesce-

[1]) Complures huius nominis formae apud veteres scriptores reperiuntur: *Mimigernaford*, *Mimigardeford*, *Mimigartevurt*, alia. Hoc nomen compositum esse videtur ex *Mimi*, quod fortasse fuit nomen cuiusdam personae, ex *garde* = hortus, et *vurt* = vadum, et itaque significat vadum in fluviolo Aa, quod est iuxta hortum eius hominis, qui Mimi vocabatur.

Digitized by Google

rent, quocumque se ferebat, cum suis sociis perpetuus ipsi labor ac negotium erat et docere in templo, vel praedicare in agro et baptizare neophytos, vel affirmare vacillantes in fide et aegros invisere et novarum ecclesiarum fabricas inspicere et ad suorum sacerdotum et cooperatorum studia attentiorem oculum circumferre. Quapropter de s. Ludgero iure poterat dici, quod de b. Martino iam pridem dictum erat: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum!*

Neque hisce omnibus pro deo et animarum salute perpetratis saturari potuit amplissimum eius pectus, ut non iterum semper atque iterum ad novos labores dexteram suam extenderet. Inter alias occupationes et conatus maximos rediit antiqua cogitatio de erigendo patrum Benedictinorum coenobio, qui non modo continuis laudibus deum colerent, sed etiam secuturo tempore sibi suisque successoribus in promovenda fidelium devotione operam indefessam navarent iuvenesque ita erudirent, ut sacerdotio imbui possent. Consilium istud iam olim Doccomii conceperat, priusquam Saxonum rebellione inde pulsus in Italiam se contulit: animusque tunc ei steterat, monasterium illud condere in patria terra ad oras maris Germanici, ubi multae ei erant possessiones ex parentum suorum facultatibus. At postmodum revelatione divina certissime edoctus, fore, ut regiones hae maritimae Normannorum gentilium incursione post aliquot annos miserrime devastarentur, locum alium suo consilio magis congruentem circumspicere coepit. Duo autem potissimum loca exstruendo monasterio idonea videbantur, pagus Widmundi ad Isalam fluvium prope Zutpheniam situs, et is, qui olim *ad cruces* apellatus est, iuxta fluvium Arnapa nunc Erfft. Ex his duabus alterutrum eligendum ratus, quid securius ageret, quam si a deo consilium peteret. Itaque cum intempesta hieme posteriorem ad locum veniret, iussit ibidem erigi crucem ligneam, „et ipse solus coram sancta cruce in nive maxima, duri frigoris et longae noctis patiens prolixas usque ad lucem in oratione duxit vigilias. Proinde divina revelatione monasterium ibi esse non posse cognovit; sed locum in saltu quodam iuxta fluvium Ruram fundando monasterio a deo fore praescitum. Quapropter ad

Digitized by Google

promissum a deo locum properavit, assumtis secum quos huic operi necessarios esse cognovit."

„Erat ibi sarculum quoddam arborum opacitate et silvarum densitate undique conclusum. Hunc locum unquam fieri posse habitationem, s. Ludgeri sociis incredibile videbatur, quare eum a consilio suo dimovere conati sunt. Ad quos ille, spem suam in domino ponens: *Exspectate auxilium ab alto! Quae hominibus*, inquit, *impossibilia, deo possibilia sunt.* Ita nocte ingruente egressus, sub quadam arbore se collocavit et in orationem dedit. Erat mox, luna et stellis lucentibus, admodum clara. Ubi cum diutissime oravisset, ac se per spiritum auditum a deo cognovisset, tentorium suum repetiit. Mutata ilico coeli est, quae tunc erat, serenitas, obscurata luna, obducta astra, et ventis hinc inde insurgentibus tempestas nimia subsecuta est. Cadebant annosa circumquaque arbusta. Cum diluculo surgerent, videbant silvam hinc inde erutam et fundando monasterio locum satis amplum, et arbores passim iacentes sufficientem lignorum copiam ad aedificationem praebuisse. Rari quique frutices et arbusculae minores derelictae sunt, quae facile vel exstirpari vel praecidi valerent. Unde s. Ludgerus cum die iam clara suos reliquo operi instare hortaretur, eos percunctari gratulabundus coepit, anne adhuc coelum se ex illo loco crederent conspecturos."

„Sane ex arboribus, quas intra spatium fundandi monasterii corruisse diximus, una solum non diruta remansit, sub qua eadem nocte vir dei oravit. Sub hac sellula, iam luce clara, posita, suos ad operandum hortabatur. Ibi quidam ad eum ex eius clericis nomine Odilgrimus, ex itinere, quo directus fuerat, venit. Quem inter mutua, quae habuerant, colloquia ipse interrogavit, quid sibi de illo loco videretur, utrumnam eum monachorum collegio congruum arbitraretur. At ille vultum eius solito clariorem videns: *In vestra*, inquit, *facile video, hoc opus sine dei voluntate non esse inchoatum· locum iam olim a deo electum opportunissimum divino servitio futurum.* Qua responsione ipse delectatus: *Gratias*, inquit, *habe, quoniam ad votum meum benevolentiam, quam solum homo potest, tuam ostendis; caeterum rei effectus in dei*

Digitized by Google

adiutorio est constitutus. Illud sane te nosse volo, quod tamen te aliquibus, me vivo, publicare interdico, in hoc loco me diem iudicii exspectaturum et corpore exutum me hi, ubi nunc sedeo, monumenti locum habiturum. Qua de re clericus arborem, quamdiu ibi stetit, diligenter observavit."

Ut vero s. Ludgero subsidia suppeditarent, quibus illud monasterium, quod postea Werthina vocabatur, exstruendum curaret, inde ab anno DCCXIII. haud pauci in rerum gestarum documentis memorantur, qui eidem praedia et silvas aliaque bona donaverunt.[1]) Itaque opibus satis instructus hoc opus circa annum DCCCVIII. perfecisse videtur, ex quo inde ab eo tempore plurima coelestis doctrinae semina per mille annos longe lateque dispersa sunt. Paulatim enim a minoribus initiis crevit Werthina, docuitque diu amplitudine sua, inter omnes Westfaliae episcopos fuisse neminem, qui in exstruendo religiosorum monasterio s. Ludgerum antevenerit.

Attamen non sola Westfalia ac Frisia s. Ludgero maxima debent beneficia, sed etiam in terras ultra Visurgim sitas, quas illo tempore uno nomine Ostfaliae complectebantur, processit verbum dei praedicaturus. Cum enim anno DCCXCVIII. expeditio bellica contra Saxones transalpinos a Carolo M. susciperetur, s. Ludgerus eum comitans, erecta haud procul a loco, ubi nunc sita est urbs Helmstedt, verbis ardentissimis doctrinae christianae praecepta Ostfalis congregatis coepit tradere, quorum haud pauci apud fontem, qui etiamnunc fons s. Ludgeri vocabatur, baptizati sunt. Deinde altare ibidem erexit et super eum sacellum sive oratorium, quod etiamnunc restat sub sacello s. Ioannis postea imposito et situm est in coemeterio monasterii ordinis s. Benedicti, quod s. Ludgerus paucis annis post ibi fundavit. Postquam autem res in regione nuper Christo acquisita ordinavit atque sacerdotem ad illum sacellum reliquit, Mimigardefurtiam reversus est. Quamvis autem „cuperet in coepto evangelizandi opere multis subvenire gentibus, sed tamen pontificalem gradum humiliter declinabat, idcirco suos frequenter petiit alumnos, ut aliquis ex iis pro eo

[1]) Has donationes singulas exposuit Erhardius in libro: *Regesta hist. Westfaliae.* 1847.

Digitized by Google

episcopalem susciperet ordinem. Cui cum Hildibaldus, episcopus Coloniensis, persuaderet, ut episcopus ordinari debuisset; illud apostolicum ei respondit, dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.*" At ille respondit, hoc minime in Ludgerum cadere. „Tandem consensu omnium superatus et magis dei dispositione coactus, acquievit, ne plurimorum concilio, imo dei voluntati contrarius esse videretur."

„Accepto igitur sacro episcopali ordine — circa annum DCCCII. [1]) — cum omni sagacitate et modestia gregi Saxonico sibi credito documenta salutis uberrime ministravit, quoadusque domino largiente ad perfectam illos perduceret fidem. Illis etiam quinque pagellis, quos in Frisia ad agnitionem verae et individuae Trinitatis de gentilitate perduxerat, eo quod prius non haberent episcopum, simili modo pontificali praerat regimini; sed et successores eius utraque loca pro una habuerunt parochia. Dedit quoque ei rex Carolus in regno Francorum in paco Bracbante, in loco, qui Lotusa [2]) vocatur, monasterium s. Petri gubernandum cum omnibus adiacentibus suis, ecclesiis et villulis." Itaque praefectus est trium gentium ecclesiis, quod olim ei Marchelmus erat vaticinatus.

„Aestate anni DCCCII. s. Ludgerus in Ostfaliam reversus una cum fratre Hildegrimo, domicilium suum primum collocabat Helmstadii. Hinc autem porro per magna terrarum spatia utriusque fervor se effudit, ita ut plurimi eius regionis incolarum ad suscipienda aeternae salutis praecepta commoverentur. Dum vero Hildegrimus semina verbi dei longe lateque dispersit, s. Ludgerus monasterium una cum ecclesia Helmstadii exstruendum curat, quod Benedictinis traditur, ex monasterio Werthinensi arcessitis. Inde haec duo monasteria semper ita erant coniuncta, ut unus duobus abbas praeesset. Attamen nondum acquiescere potuit ardentissimus s. Ludgeri animus. Etiam ultra Albim in extremos Nordmannorum Suecorumque fines procurrere constituerat, ut universum septen-

[1]) Certe non ante hunc annum episcopalem accepit consecrationem, nam in diplomate eodem anno scripto (apud Lacomblet um: *Niederrheinisches Urkundenbuch*, I. p. 13.) *abbas* appellatur, et *episcopus* anno demum DCCCV. (Lacomblet. l. c. p. 15).

[2]) Hodie *Leuse*, Hannoniae oppidum inter Athum et Tornacum.

Digitized by Google

trionem Christo servientem faceret. Verum glorioso huic proposito et conatui plurimum obstitisse visus et Carolus Magnus, maximeque vicina mortis hora, quae cum paulo post in optatissimo laborum cursu intercepit atque ad capienda in coelis praemia e numero vivorum sustulit.

„Ante obitum suum aliquanto tempore corporis molestia depressus est. In infirmitate tamen positus, consueto more sanctis semper actibus intentissime mentem occupavit, aut in lectionibus sacris audiendo, aut in psalmis canendo vel etiam in aliis quibuslibet rebus spiritualibus agendo, ne unquam a superna contemplatione dissoluta mens tepesceret, et pene diebus singulis missarum sacramenta quamvis aegrotus corpore, infatigatus tamen animo celebravit. Ipso vero die dominico, cum in subsequenti nocte de hoc mundo esset iturus ad dominum, quasi valefaciens creditis sibi ovibus in duas suis ecclesiis publice praedicavit, mane scilicet in loco, qui dicitur Coasfelt [1]), canente presbytero missam, et circa horam tertiam in loco nuncupato Billurbeke [2]), ubi infirmatus ipse corpore, ut supra retulimus, sed favore caritatis validus, devote missarum ultima celebravit solemnia; ubi etiam ipsa subsequenti nocte, assistentibus discipulis, dilectam domino reddidit animam. In ipsa igitur exitus sui hora clementiae suae dominus dignatus est ostendere signum. Nam Gerfridus presbyter, nepos eius et successor, cum nocte eadem una cum fratribus gratia visitandi ad illum festinus properasset et paululum adhuc itineris remaneret, viderunt ante se lumen magnum, quasi ignem, in sublime ascendere, ac cunctas tetrae noctis illius effugasse tenebras. Et per hoc statim indicium intelligentes sancti ac venerabilis viri obitum, quod reliquum erat viae cum magna velocitate peregerunt, iamque eum defunctum invenerunt; et subtiliter requirentes, agnoverunt, quod eodem momento veri luminis assiduus speculator et amator migravit ad dominum, quo eis fuit per lumen ostensum."

„Igitur discipuli non immemores, qualiter idem sacerdos domini disposuerat adhuc vivens, ut in loco nuncupato Wer-

---

[1]) Hodie *Coesfeld.*
[2]) Nunc *Billerbeck.*

Digitized by Google

thina, ubi in hereditate propria ob habitaculum monachorum in honore sancti salvatoris et sanctae dei genitricis, sanctique apostolorum principis Petri, ipse construxit ecclesiam, eius sepeliretur corpus. Sed cum ad hoc agendum populus, illius sancta recolens merita, vehementer resisteret, inito consilio ad monasterium ab eo constructum, vocabulo Mimigerneford, perduxerunt illud; atque in ecclesia sanctae Mariae inhumatum reliquerunt, donec venerabilis episcopus ecclesiae Cadalonensis, Hildegrimus nomine, germanus eiusdem viri dei atque eruditus ab eo, ageret cum glorioso rege Carolo, ut eius imperio, imo dei consilio, in loco, ubi ipse vivus decreverat, sanctum illius conderetur corpus, extra ecclesiam in parte orientis, ut iusserat ipse. Non enim erat nunquam consentiens, ut in ecclesia sua consecrata sepeliretur corpus humanum. Defunctus est itaque anno dominicae incarnationis octingentesimo nono septimo Calendas Aprilis, et tricesimo secundo die sui sancti obitus, hoc est sexto Calendas Maias mirifice fragrans in eodem loco sepultus est."

Haec de sancti Ludgeri vita laborumque praeclarissimorum excellentia sufficienter explicata sunto. Iam restat, ut addamus quaedam de praecipuis eius virtutibus ac miraculis, quae ab eo et in vivis gesta et a mortuo ad eius invocationem perpetrata sunt.

„Erat sanctus Ludgerus in scripturis sacris non mediocriter eruditus, sicut in libro ab eo composito de vita venerabilium eius doctorum Gregorii scilicet et Albrici aperte probatur; sed et primordia sancti Bonifacii adventus atque ordinationis, quae fuerant in alio opusculo praetermissa, pulchro sermone ipse conscripsit. Discipulis etiam suis mane diebus singulis tradere per se lectiones non neglexit, et quidquid in sacris codicibus faciendum invenit, illud instantissime studuit observare et docere. Caverat ergo, ne sibi aliquando nomen faceret inane, et idcirco secundum apostolorum omnia mensurate facere concupivit. Cucullam, eo quod promissionem observationis monachorum non fecerat, portare desivit, cilicii tamen indumentum, quod magis abscondi potuit, ad carnem usque ad finem vitae suae habuit. Carnis esum certis temporibus non renuit; satiatum tamen illum cibo vel potu discipu-

Digitized by Google

lorum eius nemo unquam vidit; sed cum ad se more solito pauperes ac divites pransuros invitasset, dulcia aeternae vitae illorum cordibus infundere documenta non cessavit; ita ut plus spiritualibus quam carnalibus deliciis satiari remearent. Erat itaque pater egenorum et despector sui; et secundum apostolum, sic se omnibus coaptare curavit, ut omnibus prodesse potuisset."

„In angustiis positus, vel sollicitus in tractandis maioribus rebus, hoc statim exordium sumere moris habuit. Sacerdotes missas celebrare monuit; religiosis viris ac feminis orationes mandat ac ieiunia; egentes et miseros invitat ad agapam; pauperum exposcit preces; et sic in omnibus gressus eius a Domino dirigebantur. Omnem censum, qui in hereditate eius propria vel in episcopio sibi colligebatur, mox distribuit, nihil omnino praeter necessarium usum super augustioribus aedificiis vel ambiciosis ministeriis, curans. Quapropter cum a quibusdam regis primatibus quasi stirpator episcopii criminaretur, et qui nullas aedificiorum honestates, nec ipsis ecclesiis metallorum ornatus providerit, gloriosissimus imperator ad audientiam eum invitavit. Unde dum veniens, mansionem iuxta palacium accepisset, mane primo imperator misso ad eum cubiculario, ad suum iussit venire colloquium. Forte tunc antistes, dum consuetudinariis ex more psalmis et orationibus instaret, dixit cubicularío, ut praecederet, seque mox divino peracto officio secuturum. Dum secundo et tercio nunciis venientibus, ille ab incepto opere nullo modo moveretur, accusatores eius occasionem se invenisse laetati, ex hoc ipsius facto criminationem cumulabant. Verum dum completis psalmodiis ante imperatorem venisset, dixit ei imperator: *Quare nostrum mandatum sic difficile accepisti, episcope, ut tot accersitus nunciis statim non venires? Quia*, inquit Ludgerus, *et tibi, o rex, et cunctis hominibus Deum regem praeponendum esse aestimabam* [*hoc enim ipse mihi praecepisti, curam episcopalem committens*], *idcirco a tuis vocatus nunciis, summi regis servitium intermittere non audebam; sed peracto divino officio, paratior ad regis imperium veni* Quod responsum eius optimus imperator optime veneratus: *Gratias*, ait, *habeas, episcope; quia talem te in opere Dei cognosco; modo reperio*

Digitized by Google

qualem antea aestimabam. Sed fuerunt aliqui, qui tuae bonitatis opera malivole apud me interpretati sunt. Sed hos deinceps minus gratos habebo, et nullius verba quos ulterius super tua criminatione certa coram Deo non audiam."

Venit quoque idem vir Dei in loco qui vocatur Billurbeki ad ecclesiam suam, et ecce mulier quaedam nobilis, quae illicito erat connubio suo copulata viro, eius volens mitigare terrorem, misit illi mel quasi pro benedictione; at ille tale munus accipere despiciendo renuit. Quidam tamen iuvenes ex discipulis eius illud mel concupiscentes acceperunt, et in ecclesia retro altare occulte posuerunt. Cumque vir Dei ad idem altare missam celebraturus accederet, et os ad preces aperuisset, confestim vas testeum, in quo illud inobedientiae mel habebatur, minutatim crepuit, et dispersum est mel, quod colligentes proieceruut foras. Non cessavit autem miles Christi, quominus illud illicitum destrueret coniugium; sed et virum ipsum qui illud perpetrare ausus est, exterminavit a patria."

„Contigit cuidam viro de Saxonia in loco, qui dicitur Werthina, ut per temtationem fieret surdus, ita ut nullum omnino sonum auribus caperet. Qui cum diu funditus officio careret aurium, tandem spe recuperationis ductus, pervenit ad sepulcrum Dei famuli Liutgeri. Cumque signa ad nocturnas vigilias sonarent, subito apertae sunt aures eius, et dixit, se aperte sonum cloccarum audire posse monachosque psallentes. Et ita continuo percepta restauratione auditus, rediit domum magnificans Deum."

„Aliquando etiam ipsam ecclesiam, infra quam sepulcrum eiusdem Dei famuli receptum est, nocturno tempore columna lucis obtinendo protexit, et ad coelum usque porrecta, foris excubantibus conspicua stabat. Sed et campanarum illic sonitus frequenter audiebatur, humana non tangente manu, sed agente potius cognitione Deitatis arcana."

„Caecus quidam nomine Egilwaldus de loco qui Amaloh vocatur ad sepulcrum Dei famuli Liutgeri perductus est, ubi dum prostratus orasset, repente a Domino lumen recepit."

„Alius quidam caecus nomine Richbertus, ad idem sanctum sepulcrum adductus est, sed illic celeriter Domino mise-

Digitized by Google

rante illuminatus est, et Deo gratias agens, sanus ad propria rediit.“

„Afferrebatur autem puella quaedam, quam longa aegritudo continuusque dolor paralyticam fecerant, quae etiam brachiis continue caput constringere consueverat, cui maximus incubuerat dolor, ita ut de cerebro sonus quasi sibilus potuisset audiri. Cumque in crypta nova necdum peracta ad sepulcrum Ludgeri deum rogatura reponeretur, mira omnipotentis dei gratia surrexit, continuo curata ab omni debilitate corporis, et benedicens deum abiit incolumis.“

Ex permultis miraculis, quae a s. Ludgero, quoad vixit, vel ad eius defuncti invocationem perpetrata et ab Altfrido aliisque perscripta sunt, haec pauca tantum memoravimus, ne huius libri fines transgrederemur.

Digitized by Google

VIII.

S. Heriburga,

virgo, soror s. Ludgeri

Refertur cum titulo sanctae ab Auberto Miraeo in catalogo episcoporum Monasteriensium, ubi de s. Ludgero, Monasteriensis ecclesiae primo episcopo, ita scribit: ***Habuit et sororem sanctam Heriburgam.*** Eius vita a nemine descripta est, neque de ea quidquam scimus, praeter perpauca, quae sunt in Altfridi vita s. Ludgeri. Conatus est s. Heriburgae vitam describere Albertus Wilkens, sacellanus Nottelensis; sed libellus anno MDCCCXXV. editus perpauca de vita s. Heriburgae praebet.

S. Heriburgam s. Ludgeri sororem fuisse scimus primam abbatissam collegii sanctimonialium Nottelensis. In vico enim, qui hodie Notteln, olim *Nutlon* sive *Nuitloin* vocabatur neque procul Monasterio Westfalorum situs est, ante annum DCCCXXXIV. monasterium una cum ecclesia a s. Ludgero erat conditum.[1]) Neque de eximia eius sanctitate dubitari quidquam potest, utpote quae a s. Ludgero, fratre suo, a teneris erudita, atque ad statum virginalem perfectissime instituta esset, cuius testis est b. Altfridus in prologo ad vitam s. Ludgeri: „Exempla et actus s. Ludgeri," inquit, „ideo plene comprehendere nequeo, quia ea non visu, sed auditu didici; illis attestantibus, qui ab infantia illum noverant atque ab eo eruditi fuerant, Hildegrimo scilicet episcopo fratre eius, et Gerfrido episcopo ne-

[1]) Diploma Gerfridi, episc. Monast. a. DCCCXXXIV. apud Niesertum, *Münstersches Urkundenbuch*, I. p. 347.

Digitized by Google

pote eius, sed et sanctimoniali femina Heriburga germana eius.“ Quae ibidem ab Altfrido sanctimonialis fuisse dicitur, existimari non debet fuisse monacha; sed puella canonica, vulgo Canonissa; hae enim illo tempore nomine sanctimonialium significabantur.

Defuncto s. Ludgero, fratre suo, superstes fuit usque ad annum circiter DCCCXLV.; vixit enim tristissimo illo tempore, quo Nordmanni in Frisiam irrumpentes, repetitis ibidem cladibus rem catholicam afflixerunt, uti eidem a s. Ludgero praedictum erat, nobisque descriptum est ab Altfrido hisce verbis: „Alio quoque tempore cum esset beatus Ludgerus secus mare in loco, qui vocatur Werdina, terribile vidit somnium, quod narrans Heriburgae sorori suae magno cum fletu dixit: *Vidi per somnium quasi solem fugientem supra mare a partibus aquilonis et nubes teterrimas sequentes; qui fugiens ac deficiens pertransivit nos, ita ut elongatus a nobis videre non posset, et caligines, quae eum fuerant secutae, obtinuerunt omnia loca haec maritima: Post multum vero temporis reversus est sol minor et pallidior, quam fuisset prius, effugavitque caligines trans mare.* Et haec dicens, ubertim faciem suam irrigavit lacrimis. Quem dum flentem soror sua conspiceret, flevit et ipsa, dicens: *Quid sibi vult hoc somnium?* Cui ille respondit: *Venturae sunt a Northmannis persecutiones magnae et instantia bella vastationesque immensae, ita ut haec delectabilia loca maritima peccatis exigentibus pene inhabitabilia remaneant. Deinde post haec favente domino reddita erit pax ecclesiae, et severissima plaga, quae regionibus his incubuerat, infra ipsos Northmannos retorquebitur.* At illa cum gemitu dixit: *O utinam dignetur dominus auferre me de hoc saeculo, priusquam mala haec superveniant.* Cui ille: *Non ita erit*, inquit, *sed in diebus tuis haec erunt; ego vero pestem illam in hoc corpore non videbo.* Huius ergo vaticinii veritas, eiusdem sororis suae nostrisque est probata temporibus. Nam omnibus temporibus, quibus idem dei famulus in hoc saeculo vixerat, pax fuit undique laeta; sed post obitum eius a gente saevissima Northmannorum innumerabilia pene annis singulis perpessi sumus mala. Nam concrematae sunt ecclesiae, monasteria destructa, deserta

Digitized by Google

ab habitatoribus praedia, in tantum, ut peccatis exigentibus regiones maritimae, quas prius multitudo tenebat hominum, pene sint in solitudinem redactae.“ Haec Altfridus. Northmannos autem in Frisiam primum irruisse anno DCCCXLVI., testantur annales Xantenses, Bertiniani, alii.

Praeter ea, quae exposuimus, nihil de s. Heriburga ad nostram memoriam pervenit.

Digitized by Google

IX.

S. Wiho,

primus episcopus Osnabrugensis.

Refertur cum titulo beati a Gelenio in fastis ad diem III. Octobris, cum titulo sancti a Godefrido Henschenio in Actis sanctorum ad diem XX. Aprilis. Colitur in dioecesi Osnabrugensi XX. die Aprilis sub ritu duplici, et in breviario lectio haec est: „*Wiho, natione Frisius, ob singulares virtutes ac vitae sanctitatem illustris, cum Carolus Magnus Osnabrugensem fundaret ecclesiam, ab Hadriano papa primus illius sedis episcopus ordinatur. In quo munere sedulus semper fuit ac indefessus zelo animarum in convertendis totius Saxoniae populis, quorum ipse pastor erat constitutus. Tandem multas tribulationes perpessus, ac laboribus fatigatus, plenus dierum, cum praefuisset ecclesiae suae triginta duobus annis, sancte in domino obdormivit.*“ Lectio haec decerpta videtur ex chronico Osnabrugensi, circa annum MD. conscripto ab Erdwino Erdmanno.

De primordiis episcopatus Osnabrugensis nihil certi proditum est. Litteras enim, quae a Carolo M. anno DCCCIII. et Ludovico Pio anno DCCCXXV. ecclesiae Osnabrugensi datae perhibentur, suppositas esse, satis constat. Attamen inde non sequitur, omnes eas res, quarum binae istae litterae mentionem faciant, esse omnino fictas ac falsas. Priores vero litterae docent, Wihoni, Osnabrugensi episcopo, eiusque ecclesiae quoddam nemus a Carolo M. donatum esse. Quapropter saltem verisimillimum est, primum eius ecclesiae episcopum fuisse Wihonem. Cetera, quae de eo antistite relata sunt, debemus Erdwino Erdmanno, qui circa annum MD. chronicon Osnabrugense scripsit. Quamquam is in exponendis ecclesiae Osnabrugensis primordiis pluries a vero aberravit, tamen omnis fides ei abrogari nequit. De diplomatibus autem, quae ad originem ecclesiae Osnabrugensis pertinent, docte disputavit Erhardius, *Regesta historiae Westfaliae*, I. p. 85. sqq.

Digitized by Google

Ecclesiam Osnabrugensem episcopali nomine primus administravit Wiho, vir eximiae sanctitatis, barbarisque ad fidem christianam convertendis peridoneus. Erat hic natione Frisius, atque ut rerum Frisicarum scriptores perhibent [1]), Leowardiae natus. Iam enim Frisii e sanctorum Willibrordi ac Bonifacii praeclara institutione vicinos sibi Westfalos in suscipienda fide praecucurrerant. A prima aetate in clerum cooptatus, virtutum simul ac litterarum fundamenta didicit in seminario collegii Ultraiectini, quod per ea tempora non solum doctrina, sed etiam sanctitate florentissimum erat. Et quia ingenium ipsi natura dederat ad magna facile, tantos in utroque studio progressus fecit, ut praeter graecas latinasque litteras, quibus praeclarissime tinctus erat, etiam religiosae perfectionis splendore imprimis esset insignis. Inde ad evangelii praedicandi munus evocatus et iam sacerdotio instructus, multum laboravit in excolenda Frisia, eoque in opere tam diu perduravit, donec adultior aetas et fructuum inter suos collectorum fama eum Carolo Magno commendavit.

Procedebat sub idem tempus fides christiana magnis in Westfalia passibus: et iam eo res perducta erat, ut debellata superstitione episcopalis ecclesia Osnabrugensis a Carolo fundari coeperit. Cui gubernandae cum antistitem consummatae sanctitatis et ad magnos ausus pro Christo suscipiendos probi camparatum quaereret, ex omni praestantium virorum numero ante ceteros delectus est s. Wiho, nec multo post ab Hadriano papa, vel ab Alfrido, Leodiensi episcopo, consecratus. Nec fefellit ille spem, quam Carolus rex de illius zelo ac virtute iam pridem ceperat. Nullus illi labor nimis arduus, nullum iter nimis molestum, nullae viae nimis inviae aut inaccessae: docendo, praedicando, catechizando percurrebat assidue vicos omnes et loca adsita, tantumque efficiebat indefesso cursu ac sollicitudine sua, ut intra breve tempus dioecesis tota ab inanium deorum cultu ad Christi fidem traducta sit. Tum constituta est cathedralis basilica, adiectum nobile canonicorum collegium, procuratae clericorum fundationes, divisae

[1]) Eum Leowardiae in Frisia occidentali natum esse ait Miraeus in chronico belgico ad annum DCCCIV.

Digitized by Google

parochiae, erecta templa, impositi sacerdotes et parochi; erectum denique Osnabrugae gymnasium et in eo scholae graecae latinaeque, quarum ipse cum insigni gloria et Saxonicae iuventutis emolumento supremus moderator fuit. Meminit harum scholarum Carolus ipse in diplomate die XX. Aprilis anno DCCCIV. ad Wihonem dato, ubi post varias donationes ecclesiae Osnabrugensi traditas ita dicit:[1]) „Et hoc ea de causa statuimus, quia in eodem loco graecas et latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus, et nunquam clericos utriusque linguae gnaros ibidem deesse, in dei misericordia confidimus."

Exinde studium utriusque linguae in scholis istis singularem per plura saecula florem tenuit; donationibus tamen eum in finem a Carolo Magno factis honorari potius, quam frui potuit sanctus Wiho: quippe qui haud ita longe post ad laborum suorum praemia e vivis emigraverit. Erdmannus enim tradit, eum anno DCCCV. die XX. Aprilis esse defunctum. Ego vero persuasum habeo, neque quo anno mortuus sit, neque quamdiu episcopi munere functus sit, satis certe definiri posse.

---

[1]) Hoc diploma esse suppositum constat, sed pervetustum est, neque quavis fide indignum.

Digitized by Google

X.

S. Hercumbertus,

primus episcopus Mindensis.

Refertur cum titulo sancti in catalogis Petri Cratepolei, Auberti Miraei, Laurentii Beyerlinkii, in serie episcoporum Mindensium, quae praemissa est Synodo a Francisco Wilhelmo habitae anno MDCXXXII., ubi statim sub initium ita legitur: *S. Hercumbertus, vir pietate insignis, primus huic ecclesiae praeficitur episcopus.* Initium cepisse Mindensem episcopatum iam anno DCCLXXX., chronica Mindensia scripta saeculo demum XV. perhibent, sed parum fidei eis tribuendum est. Constat enim inter omnes rerum Saxonicarum gnaros, Mindensem episcopatum non prius esse erectum, quam Widukindus dux baptizatus esset. Id vero contigisse anno demum DCCLXXXV. Eginhardus aliique scriptores Widukindo fere aequales testantur. Quapropter non est dubium, quin ecclesiae Mindensis primum initium ceperit post annum demum DCCLXXXV. et propius accedemus ad veritatem, si censemus, id factum esse exeunte saeculo octavo. Nullum enim rerum gestarum monumentum fide dignum aliquem Mindensium episcopum ante initium saeculi noni memorat, neque omnino verisimile est, longe ante a Carolo Magno episcopos institutos esse. Plura de episcopatuum origine Saxonicorum disserui in libello: *Katholische Zeitschrift.* Münster, 1851. Fasc. V. Caeterum *Minda* iam anno DCCXCVIII. bis memoratur ab Eginhardo (Apud Pertzium l. c. I. p. 185) et in diplomate Werthinensi (Apud Lacombletum *Niederrhein. Urkundenbuch,* I. p. 7).

Neque quo anno s. Hercumbertus e vita decesserit, certe potest indicari. Dies vero obitus teste Crantzio fuit IX. Junii, qui sanctis martyribus Primo et Feliciano sacer est. Eius vita nunquam pluribus descripta est; breve tamen eius elogium licebit hic conscribere ex iis, quae leguntur in vita et conversione s. Widukindi, Westfaliae ducis.

Digitized by Google

Postquam Widukindus, Westfalorum dux, rebellione tandem posita, Attiniacum [1]) se recepit ad castra Caroli Magni, ibidemque Paschalibus feriis mysteria Christi eucharistici peregrina sub veste contemplatus est [2]), novitate rei vehementer attonitus, sacerdotem petiit, qui sibi suaeque coniugi religionis christianae rudimenta traderet. Erant autem eo tempore apud Carolum regem doctores praestantissimi, interque alios b. Hercumbertus, eximiae sanctitatis homo et ad magna natus. Is cum ad hoc docendi munus a Carolo delectus esset, singulari industria ac sedulitate sua intra breve tempus eo rem deduxit, ut Widukindus eodem iam anno una cum uxore sua baptizaretur. Neque in hoc uno duntaxat opere eius fervor et zelus substitit. Obtulerat ei Widukindus dux habitationem aliquam in arce sua Westfalica, si Galliam deserere et secum in Westfaliam commigrare vellet. Pollicitus quoque ei erat, se locum aedificando templo opportunum aliosque reditus ad honestam clericorum sustentationem requisitos ei esse assignaturum. Accedebant donationes, quas eidem ecclesiae curaturum se, pollicitus erat, Carolus Magnus, quam primum tempora a diuturnis belli tumultibus pacatiora fierent. Utrumque validissime s. Hercumbertum commovit, ut Widukindum in Westfaliam redeuntem comitaretur, quippe qui iam satis provideret, quantum utilitatis in ecclesiam redundaturum esset, si vir tam illustris in susceptae religionis amplexu staret incolume.

Itaque Widukindo in patriam revertenti comitem se adiungens, gloriosis itineribus ad agros Westfalorum pervenit, certus, aut animam ibi suam pro Christo ponere, aut incultos paganorum greges ad aeternae salutis praecepta ducere. Prima eius mansio fuisse dicitur in arce Widukindi prope Visurgim fluvium sita: a qua insuper, ut quae esset communis amborum statio vel possessio, tanquam a *Myn dyn*, i. e. meo et tuo

---

[1]) Attigny, urbs Galliae septentrionalis.

[2]) Alii tradunt, id Widukindo contigisse in castris Caroli M. apud Wolmirstadt positis. (Conf. Kranzii Metrop. l. 9. Leibnit. script. rer. Brunsv. III. p. 623). Caeterum neque haec neque supra memorata opinio certis argumentis probari potest.

Digitized by Google

urbem Mindam appellatam esse volunt. Inde in omnem late viciniam sese inferens, assidua instructione populum ad omnia pietatis officia erudiebat atque uberrimos animarum fructus retulit, multis undique, ducis exemplo commotis, ad sacrum baptisma confluentibus. Insignis quoque erat eius cura, Widukindo eiusque domui constanter impensa: quem uti pridem Christianae fidei rudimentis instituerat, ita postmodum frequenti alloquio et commonitione sua tam firmiter in sua fide stabilivit, ut quantum alias excitandis rebellionibus, tantum ab eo tempore promovendis ecclesiae commodis intentus esset. Praecipue vero laudibus celebranda est eius liberalitas; nam cum aliis permulta, tum ecclesiae Fuldensi ducentos quinquaginta tres servos, viginti tres villas, centum et septuaginta agrorum iugera dono dedit. [1]) Obiit autem, episcopi munere egregie functus, sub initium saeculi noni die IX. Junii, die festo sanctorum martyrum Primi et Feliciani.

[1]) Dronke, Traditiones, Fuldenses. p. 16. 96 et 97.

Digitized by Google

XI.

S. Ida.

Refertur cum titulo beatae ad diem IV. Septembris ab Haraeo, a Molano in add., et Gelenio in fastis. Cum titulo sanctae a Surio, a Petro Canisio, a Grevero in additionibus ad Usuardum, ubi eam hoc ornat elogio: *Item s. Ydae viduae nobilis, quae tempore Caroli M. in Westfalia iuxta Luppiam decurso statu coniugali, in porticu ecclesiae, quam maritus eius impensis suis construxerat, reclusorium sibi statuens, in magna sanctitate degens et vere viduam se ostendens quievit in pace.* Nomen eius in dioecesi Monasteriensi inscriptum est Calendariis publicis.

Vita eius exstat apud Surium, ad IV. Sept. et apud Pertzium, Mon. II. p. 570., conscripta ab Uffingo, monacho Werthinensi, qui eam cum historia translationis duobus libris complexus est inter annos DCCCCLXXX et DCCCCLXXXIII. (Conf. Pertz. l. c. p. 569). Priusquam vero ad vitam s. Idae ex illa componendam aggrediamur, praenotanda sunt haecce:

1. Quod scribit Uffingus monachus: „Eo tempore, quo Carolus M. imperator Saxonum et Francorum sceptra feliciter gubernabat, expeditio exercitus propter Galliarum seditionem in occidentem dirigebatur, ubi tunc inter alios orientis proceres praefectus quidam Egbertus nomine advenisse dicitur, qui gravissimam ibi incurrit aegritudinem;“ nusquam ullius seditionis in Gallia factae sunt vestigia, nisi illa ab Uffingo relata in Pippini coniurationem retuleris, cuius in Einhardi annalibus ad a. DCCXCII. hisce verbis fit mentio: „Facta est contra regem coniuratio a filio suo maiore, nomine Pippino, et quibusdam Francis, qui se crudelitatem Fastradae reginae ferre non posse adseverabant atque ideo in necem regis conspiraverunt.“ (Pertz, l. c. I. p. 179).

2. Pagus Dreni, in quo a s. Ida ecclesiam ait Uffingus esse constructam, situs est iuxta Luppiam fluvium in ripa dextra inter fluviolos in Luppiam fluentes, qui vocantur *Stewer* et *Glenne*. De pago eo accuratius disseruit Ledeburius, *Land und Volk der Bructerer*, §. 2.

Digitized by Google

3. Ex Uffingi verbis et vita s. Pusinnae aliisque certis testimoniis sequitur, stemma s. Idae esse hocce:

De hoc stemmate copiose atque subtiliter disputavit A. Chr. Wedekindus: „Noten zu einigen Geschichtsschreibern des Mittelalters.“ 1835. I. p. 441. sqq.

Digitized by Google

4. In vita s. Godfridi Cappenbergensis, scripta medio saeculo XII. haec leguntur: *Hertfeldiae Hovestadt adiacens, Egberti curia fuisse creditur et Eckelburg, vicus cum arce quasi Egberti burgus.*" Annalista Saxo (apud Pertzium, l. c. p. 567) ad annum DCCCIX. refert, a Carolo M. *Egberto comiti* mandatum esse, ut castrum exstrueret in dextra Albis fluminis ripa. Praeterea in vita Ludovici Pii (apud Pertz, l. c. II. ad annum DCCCXXXIV. *Ègbertus comes* memoratur. Egbertum comitem his duobus locis memoratum s. Idae maritum fuisse, verisimillimum est. Cum vero Ludovicus Pius anno DCCCXXXVIII. possessionem bonorum *in pago Niftharsi, in villa Imminchuson venerabili Idae, viduae Egberti comitis, propinquae nostrae* confirmaverit, (Cf. Erhard, Regest. Westf. I. p. 99.), plane sequitur, Egbertum aut anno DCCCXXXVIII. aut paulo ante, s. Idam vero, post eum demum annum vitam posuisse. Quae verba ex Uffingi vita huc transscripta sunt, ea signata sunt huiusmodi „—" signis.

Nunquam feliciore connubio gavisa est Westfalia, quam ubi s. Idam Egberto Westfaliae comiti sociatam vidit. Occasio nuptiarum erat iter ab Egberto in Galliam susceptum et quae ipsum in hoc itinere consecuta erat corporis aegritudo haud dubie speciali beneficio a deo missa, qui Westfaliam post diuturnas tenebras tam illustri sanctitatis exemplo decoratam voluit. Mittebatur enim eo tempore a Carolo M. ex Saxonia in regnum Franciae exercitus, quem sequebatur inter alios copiarum Saxonicarum duces Egbertus, comes, vir industrius et ob invictae constantiae prudentiaeque laudes imperatori suo imprimis carus. Is cum e tractu inferioris Rheni in terras Franciae appulsus esset, repentina corporis aegritudine tam vehementer attineri coepit, ut iter suum confestim sisteret pro tentorio pellibusque Martiis lectum quaerere cogeretur. Indolebat maximopere huic malo Carolus et Egbertum cuidam de suis summis ipsius loci primatibus, i. e. Bernardo, Walae patri, diligentissime commendavit; simulque in mandatis dedit, curam ut illius peculiarem gereret, et quidquid ad sanitatem corporis revocandum opus foret, studiosissima sollicitudine accuraret. Paruit his imperiis regi Bernardus princeps, excipitur Egbertus omni humanitatis et officiorum genere, curatur, alitur, confovetur, tantoque caritatis affectu ministrantur omnia, ut domus tota ad eius arbitrium nutumque verti videretur.

Digitized by Google

Ante omnes vero laudem praecipuam referebat s. Ida, Bernardi „unica filia et ipsi unice dilecta, venusta fronte et egregia forma, quae in tantum aegrotanti est compassa, ut per se ipsam aliquoties illi obsequendo, quantum suam personam decuit, et eius ulcera oppalparet, et congrua doloribus fomenta, cuius ipse solatio valde delectabatur." Iamque aegrotus comes paulatim incepit animos suos in Idam vertere, futuris etiam nuptiis eandem designare. Annuit deus votis neque ita multo post ita imminuta est morbi vis, ut paulatim in pedes se recipere et gressum experiri posset. „Interea Carolus M. reversus, praecellentissimi sui comitis haud immemor, eandem qua illum pridem reliquerat civitatem visitandi adiit gratia, eum iam valentiorem reperit. Dumque mutuo aliquamdiu colloquio fruerentur," a Carolo petiit Egbertus, ut hoc beneficiis in se collatis adderet, ut regiae auctoritatis interventu sibi in matrimonium daretur Bernardi filia, virgo Ida: quippe quae indefesso servitio suo omnem aegrotantis amorem sibi iam pridem paravisset. Princeps vero de eius postulatione multum gavisus, parentum adeptus est favorem deditque illi in eisque partibus multas possessiones de publico, quatenus viciniori potentia soceris acceptus factus, non minori apud illos, quam in patrio solo praecelleret dignitate. Insuper etiam cunctis Saxonibus, qui inter Rhenum et Visurgim inhabitabant, eum praefecit [1]). Post haec sponsam suam christianissimam, ipse admodum religiosus, cum dei timore suscepit et honorifice dimissus, ad sua commigrare decrevit."

In hoc itinere „venerunt ad locum quendam iuxta Luppiam flumen, qui Saxonica lingua Hirutfeld [2]) nuncupatur, amoenis nemoribus consitum, ibique inventa non magna planitie, vespertino iam incumbente crepusculo, tentoria fixerunt, lassisque profectione somnos dabat herba salubres. Omnibus itaque alto sopore depressis, venerabili matronae Idae angelum suum in somnis dominus mittere dignatus est, qui

---

[1]) Haec narrat quidam Uffingus monachus, sed ducatus Egberti inter Rhenum et Visurgim nusquam ulla vestigia occurrunt.

[2]) Vicus, qui hodie *Hersfeld* vocatur neque procul ab Lippstadio occidentem versus situs.

Digitized by Google

post multa, quibus eam instruxit, monita, oratorium ibidem ex suis sumptibus construendum praedixit, ubi domino quandoque liberius deserviret, postque huius vitae cursum consummatum illic eam remunerationis aeternae locum praestolaturam una cum viro suo praesaga voce promisit."

Postera vix oborta luce, b. Ida, quod sibi per noctem ab angelo nuntiatum esset, Egberto aperit, cumque ille divinis eiusmodi monitis fidem indubiam adhiberet, inclinato corpore in terram provoluta ferventissime deum obsecrabat, ut quod sibi per angelum significari fecisset, coelesti auxilio suo ulterius secundaret. „Non multo post in loco supradicto lapidea basilica opere polito construitur atque in sanctae Mariae dei genitricis et s. Germani episcopi honorem consecrata est. Ad illum namque dicatum locum, qui est in pago Dreni in Luppiae fluminis ripa, nonnulla illustris viri Egberti praedia respiciebant, ubi deo dilecta matrona Ida frequentius commorari et semper recentibus in dei cultu laboribus intentissime consueverat insudare." Ex adversa enim fluminis eiusdem ripa etiam pro se ac familia sua domicilium et aulam in eo loco Egbertus fixerat, quem ab aulae statione Hovestadium appellatum volunt. Ex eo tempore Hertzfeldiensis ecclesia b. Idae fundatrici suae summis semper in amoribus fuit. Neque tamen propterea omittebat quidquam ex iis omnibus, quae aut viro aut domui suae praestare debebat; sciebat enim christianae coniugis perfectionem sitam non esse in sola devotione, sed etiam in obsequio marito praestando et in rebus domesticis curandis iuxta praeceptum apostoli ad Tit. 2. volentis, *mulieres coniugatas esse prudentes, sobrias, castas, domus curam habentes et subditas viris suis.* Desidiam et otiositatem velut pestem rei familiaris procul arcebat ab ostio domuum suarum: lanificia, linificia, texturae, labor phrygius et alia huiusmodi feminarum opera erant quotidianae occupationes, quibus se et familiam suam domi et foris assidue exercebat iuxta consilium sapientis: *In eo potissimum collaudatis feminam, quod quaesiverit lanam et linum, id operata sit consilio manuum suarum.* (Prov. 31). Famulitium eius tam in servis quam ancillis uti numerosum erat: sic etiam ad omnem modestiam et honestatem compositum. Nunc illa

Digitized by Google

praescribebat sanctissimas vivendi et agendi leges, quas ab omnibus exacte observatas voluit: ante omnia autem severe inculcabat illud apostoli: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; fornicatio autem et omnis immunditia aut turpido non nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* (Ad Ephes. 4, 5). Egberto comiti et marito suo obsequebatur in omnibus rebus quippe capiti suo: et ille vicissim diligebat eam velut partem sui, memor illius ab apostolo praecepti: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea: sacramentum hoc magnum est in Christo et ecclesia.* (Ad Ephes. 5, 25).

Quod autem attinet piissimi istius coniugii fructus, quinque saltem proles, non foecunda minus, quam sancta mulier huic mundo edidit Warinum, abbatem Corbeiensem, Adilam, Hadwigem, abbatissam Herivordensem, Cobbonem comitem, Ludolphum, Saxoniae ducem, qui magnam Ostfaliae partem avito Westfaliae comitatui primus adiecit. Ex hoc postremo deinde non modo multi duces et reges, sed etiam praeclarissima complurium sanctorum caterva natales suos deduxere. Nam praeter tres filias, fama sanctitatis inclytas, Hathumodam, Gerbergam et Christinam, monasterii Gandersheimensis primas abbatissas, etiam ab eo processerunt Luitgardis, Germaniae regina, Ludovico secundo nupta, s. Bruno, martyr Ebbekesdorpiensis, et Otto Saxoniae dux, pater Henrici aucupis, et avus Ottonis Magni, aliorumque imperatorum et sanctorum proavus.

Ita Egbertum comitem ex connubio s. Idae verissime consecuta est illa terrestris benedictio, de qua dictum est in scriptura sacra: *Mulieres bonae beatus vir* (Eccles. 26). et *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae: Filii tui, sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.*" (Psal. 127).

Sed quid ita in mundo stabile, quod aliquando non dissolvat inimica mors? Non paucis annis in felicissimo coniugio transactis tandem „Egbertus, vir in Christo honorandus, rebus humanis excipitur, cuius spiritus mox coelorum palatinas sedes beatus hospes promeruit obtinere." Ea mors uti acerbissimos s. Idae dolores peperit; ita pariter novas illi faces subdidit, quibus inflammaretur ad ardentiora virtutum

Digitized by Google

studia. Tunc enim illa coniugali soluta vinculo arctissimum vitae genus pro se elegit, abstinentiam plane duram sibi imperavit, prolixiora precum quotidianarum pensa deo solvit, gloriam omnem pompamque saeculi protexit, vestes denique pretiosiores ac delicatas, in quibus a pueritia educata erat, cum vilibus abiectisque pannis commutavit. Quaeque vero de reditibus in matrimonio annuatim reservavit, ea ad pauperum usum in coelestes apothecas reposuit, metuens, ne parce seminans parce et meteret. Quidquid otii temporisque illi vacuum erat a quotidiano labore manuum et operibus charitatis, impendebat rerum coelestium meditationi ac devotis precibus. „Ut vero supernorum meditatione arctius occuparetur, in ecclesiae Herutfeldensis plagae meridiana contiguam eius parieti porticum construxit, in qua remotius orare et a vulgari strepitu immunis conversari posset. Marmoreum sibi sarcophagum longe ante obitum sibi praeparari ob incerti temporis momentum iussit, quem duabus quotidie vicibus diversis alimentorum aliarumve rerum impensis summotenus implevit et victu carentibus hilariter distribuit." Favorem et applausus hominum fugiebat semper velut operum bonorum tineam: et ideo cum plurima summis laudibus depraedicanda faceret, ex his tamen ne vel minimam alicuius gloriolae partem in se derivari patiebatur, semper verita, ne alioquin in se caderet illud Christi: *Receperunt mercedem suam.* (Math. VI). Cellam, in qua morabatur, custodiebat uti testam suam cochlea; ex ea enim fere nunquam, nisi ut pauperibus subveniret, pedem efferre visa est; non secus ac si dicere vellet cum s. Hieronymo: *Oppidum mihi carcer est et solitudo paradisus.* Omnia ipsius opera merissimam spirabant sanctitatem; solusque eorum scopus erat deus ipse, et illius sempiterna in coelis possessio: ad quam post molestam aegritudinem inter ardentissimas b. Bertgeri, sacellani sui, aliorumque dei servorum preces tandem evocata est die IV. Septembris circa annum DCCCXXV.

Corpus eius inclusum est marmoreo illi sarcophago, de quo dictum est supra; tumulatumque magnis honoribus in ipsa porticu templo contigua: ubi deinde ad eius invocationem plurima miracula perpetrata sunt, caecis visum, surdis auditum,

Digitized by Google

claudis gressum, curvis membrorum rectitudinem, infirmis aliis medelas alias eius patrocinio recipientibus. Quorum prodigiorum permulta descripsit Uffingus in eius vita, neque alienum a re videtur, nonnulla saltem hic referre.

„Ea tempestate qua Hungariorum gens detestanda ignicremis vaporibus cuncta devastavit, praefatum quoque sanctae Idae oratorium nefanda legio adiit; cruces, capsulas, et omnem ornatum ecclesiasticum depraedati sunt. Deinde in altiora scandentes, focos nonnullos in laquearibus construxerunt; sed virtute Dei carbo sopitus, nulla flammarum incrementa haurire voluit, excepto quod raras quasque tabulas insidendo peredit, per quas sine mora semiusta ligna in inferiora proiecit. Hoc opere cassati, pervicaci conatu nolarium aggressi sunt, campanas saltem deposituri; sed ad has in vanum cucurrerunt, quia eas nullis argumentis enodare potuerunt. Hi namque, ut legitur,

Ignorant iusto, sed semper vivere rapto,
Omnia sub fraude deducunt tempora vitae.

Tandem victae pertinaciae et virium elumbes effecti, aliquid ibi esse divalis numinis suspicati sunt; ac mox solius fugae cupidi, pedibus talaria nectunt. Quae autem vi diripuerunt, post illorum ventilationem in castris reperta sunt, et suo loco incolis omnia restituta. Tunc omnium ora in laudes summi protectoris generaliter prorumpunt, dum tam evidenti indicio sanctae Idae praesidia praesentialiter cernunt."

„Saxea arca, in qua veneranda eximiae mulieris ossa recondita, terraeque fuerunt commendata, invisibili quadam mobilitate cursum coepit emergere, et quasi violentiam terrenae molis dedignata, contra prementem se intrinsecus luctabatur, sicque per nonnullos annos sensim erumpendo, seseque liquido intuentibus ostendit, donec funditus ab humo sequestrata, in superficie pavimenti integra resedit."

„Huiusmodi mirabilium rumusculis dum plurimorum animos permulsisset, ad reverendissimum quoque Mimigarfordensis ecclesiae praesulem Dodonem huius rei notitia pervenit. Tantis ille congratulans bonis, quod vel suis temporibus aut in loco suae provinciae subiecto haec maxime evenire debuerant, opifici omnium Deo immensas referebat gratias. Unde

Digitized by Google

cum famosior quotidie de his relatio increbresceret, visum est seniori nostro Ludulpho eundem praeclarum episcopum precibus convenire, quatenus beatae Idae ossa de tumulo in ecclesiam transferre, ac eius basilicae consecrationem peragere dignaretur. Huius exhortationis efficaciam, fratris nihilominus nostri Hugii benivola iuvit industria, cui id temporis illis in partibus nostrarum procuratio rerum fuerat iniuncta, qui et eandem ecclesiam non modica restauratione nobiliter ampliavit. Cum vero huius nuntii veritas primitus parochianis innotuisset, videlicet, quod electa Dei tyruncula ad suum oratorium esset deportanda, acervatim illuc confluentes reverendis optabant interesse obsequiis."

„Tunc memoratus praesul petitis benigne annuens, die statuto supervenit, et sacrosanctum revisit sepulchrum: ibique oratione fusa, quod initiandum proposuerat, intentissime summo delegavit consiliario Christo. Pontificalibus deinde ornatus infulis sacratam aggreditur tumbam comitante secum inferioris ordinis agmine dealbato; ubi primum seniorem nostrum omnesque simul adstantes admonuit, totius bonitatis originem generaliter inclamare Deum, ut suae voluntatis effectum in huius facti inchoatione monstrare dignaretur. Licet enim de sanctae Dei meritis nullo modo haesitaret; solita tamen prudentia usus, nil per se inconsulte aut inordinate agere voluit. Hac supplicatione praemissa, pari omnium consensu et voto operculum marmoris amoveri praecepit. Quibus iussa maturantibus, suavissima mox fragrantia de monumento eructans, odorifera adstantes iucunditate respersit, ut liquido omnes sentirent beatae Idae merito illam coelitus esse destinatam. Quo facto, episcopus sacras exuvias deosculatus, cum omni honore de sarcophago sublevat, et in scrinio illorum receptui aptato diligenter reponit, monachis interim ac clericis psalmos et letaneam instanter psallentibus. Deinde praecedentibus crucibus, vexillis, cereis atque thuribulis cum dulci modulantium cantilena benignus pontifex cum nostro seniore sanctum gestatorium portandum suscipit, et in ecclesia honorifice super altare collocat. Ibi quoque aliqua gesta de beatae Idae sanctimonia populo succincte recitat, ac mox ipso *Te Deum laudamus* incipiente, plebeiae laudis succentu omnia concrepant.

Digitized by Google

Ut autem sanctorum pignorum veneratio celebrior alicubi haberetur, memoratus pontifex aliquas ex eis sibi tulit particulas, quasdam dominus abba ad nostrum transvexit monasterium, quas etiam omnes sacris vestibus induti, ad Calendas Decembris magno honoris apparatu officiossime suscepimus."

„His ita peractis, venerandus antistes australem ecclesiae structuram, id est turrim in honore sanctae Dei genitricis Mariae ac sub beatae Idae nomine consecrat, cunctisque in vicino degentibus diem translationis et dedicationis annali semper recursu solenniter feriandum et celebrandum iubet. Tanta rerum congruentia dum strenue cuncta perpetravit, populum benedictione Dei munitum ad propria ire permisit, ipse quoque cum suis inde discessit. Facta sunt haec anno dominicae incarnationis nongentesimo octuagesimo, VI. Calendarum Decembrium die, feria IV."

Seriem omnium, quae hactenus perscripta sunt, iuvabit claudere brevi carmine, ad honorem sanctae huius viduae concinnato:

Difficile est meritis extollere laudibus Idam,
Cuius in hoc tumulo pulvis et ossa iacent.
Si video primos, quos virgo peregerat annos;
Exemplum sanctae virginis illa fuit.
Tempora coniugium si concomitantia specto,
Exemplum sanctae coniugis illa fuit.
De vidua quid vero loquar? post fata mariti
Sola fuit soli visa vacare deo.
Quid mihi, dicebat, fluxo cum coniuge posthac?
Quid mihi cum terra terrigenumque bonis?
Me tibi do, Jesu! soli tibi sola vacabo:
Tu sponsus meus es, mens mea sponsa tua.
Pauper es? et pauper Christo cum paupere vivam:
Omnia mendicis pauperibusque dabo.
Nec minus ideirco tibi, Christe, dedisse videbor,
Quidquid enim datur his, hoc tibi Christe datur.

Digitized by Google

XII.

B. Bertgerus,

presbyter, sacellanus s. Idae.

Refertur cum titulo sancti in chronico Kleinsorgii p. 54 hisce verbis: *Anno Christi* 830. *den* 26. *Novembris ist zu Hertfelde in Westphalen s. Bertgerus gestorben.* Similia sunt apud Canisium in martyrologio germanico ad diem XXVI. Novembris: *Item*, inquit, *des heyligen Priesters Berentgerus, welcher sambt andern seinen gesellen auss Frankreich in Westphalen zog, und die Kirche zu hertzfeldt, so von der h. Ida gebauet, lange Zeit löblich regieret.* Cum titulo beati refertur a Gelenio in fastis ad eundem diem, ubi sic scribit: *B. Bertgeri, Hertfeldensis in Westphalia abbatis, sub annum DCCCXXX.* Errat tamen Gelenius in eo, quod *abbatem* eum nominat, quem Hertzfeldensis ecclesiae rectorem appellare oportuerat. Compendium vitae eius vel potius breve elogium, quod statim dabimus, desumptum est ex vita s. Idae, ab Uffingo monacho Werthinensi circa annum DCCCLXXX. scripta.

B. Bertgerus presbyter fuit ex religiosissimo hominum illorum coetu, quos b. Ida, regnante Carolo Magno, secum in has terras advexerat, cum e Gallia oriunda Egberto Westfalorum comiti nupta esset. Ex eo tempore Westfalia nostra ita placuisse visa est sancto viro, ut tamesti ad magnam pervenisse senectutem videatur, a statione tamen semel coepta pedem dimovere aut in Gallias reverti noluerit. Fungebatur initio sacellani munere Hovestadii in aula comitum b. Egberti atque s. Idae. Post ubi ab iisdem ecclesia Hertzfeldensis angelicae monitione constructa esset in adversa ripa praeterlaben-

Digitized by Google

tis Luppiae sedem suam mutasse creditur, et in aedicula quadam templo vicina consedisse, ut beatae Idae, post obitum Egberti comitis ibidem habitanti, propior esset, et ecclesiae sibi commissae faciliorem e propinquo curam gereret. Erat autem „vir religiosae conversationis," ut Uffingus in vita s. Idae refert, „et probatae castitatis quippe eorum disciplinis informatus, qui in lege dei sui sine querela incesserant, qui etiam ipsam ecclesiam" (Hertzfeldensem) „et mausolea aliquot annis strenuissime divinis humanisque obsequiis ecoluit, honoravit et venustavit. De quo et illud per fidelium ora diffamatum est, quia inter caetera gravitatis eius insignia nunquam in suis tectis muliebrem personam aut commorari aut domesticis usibus inservire consensit; ideoque contra aemulum dimicans castitatis, omnem occasionis aditum non solum praecavere, sed et radicitus exstirpare curavit." Beatae Idae non solum a consiliis sacris, sed etiam a confessionibus et conscientiae expurgandae negotiis fuit. Eidem e vivis excedenti, in extrema infirmitate indefessus adstitit atque ad mortem, pari qua vixerat sanctitate oppetendam auxilio fuit. Tandem ubi tempus aderat, quo clementissimus deus merita sui servi aeterna in coelis gloria volebat coronare, ei „etiam ob tantam," inquit Uffingus, „cordis innocentiam a deo collatum esse fertur, extremam vitae horam praescire; quod eo magis liquet, quia ipso, quo obiturus erat die, missarum ex more sacramenta consummavit, ac mox dominico consignatus viatico, in ipsis vestibus sacerdotalibus ante sanctum altare animam reddidit creatori et prope sanctae Idae tumbam digne humatus est. Ut enim tam medicabilis glebae consortium obtinuerit, magnum quoddam fortasse, quod eum commendaret, iustitiae meritum praecessit." Caetera, quae de beato hoc sacerdote praedicari possent, aut iniuria temporum nobis subtracta sunt, aut scriptorum veterum incuria penitus interciderunt. Claudimus encomium eius brevi carmine, quod epitaphii loco scribimus, ad eius tumulum:

Bertgerus pastor iacet hic: Sta, clerice, donec
Ad te de tumulo paucula verba loquar.

Digitized by Google

Femina nulla meos fuit unquam ingressa penates:
  Cur ita? num forsan femina nulla bona est?
Est bona: sed tibi non. Vereor ne clerice fias
  Hoc minus ipse bonus, quo magis ipsa bona est!
Corpore virgo fui; vixi velut angelus insons,
  Clerice, quam virtus convenit illa tibi?
Angelica toties super aram pasceris esca:
  Vae tibi, si Venerem tu velut hircus oles!

Digitized by Google

XIII.

B. Gerfridus,

s. Ludgeri nepos, secundus episcopus Monasteriensis.

Refertur cum titulo beati a Gelenio in fastis ad diem XII. Septembris: *In Werda ad Rhuram*, inquit, *dioeceseos Coloniensis coenobio, s. Gerfridi secundi Monasteriensium episcopi.* Cum eodem titulo refertur a Theodoro Rhay, qui haec scribit: *In Werthina*, inquit, *insula Rhurae transrhenanae, b. Gerfridi Monasteriensium secundi episcopi, qui spiritu apostolico nobilissimam illam et populosam gentem christiana lege illustravit et proceres complures tam ibi, quam alibi Christi vexillo subiecit: quibus laboribus immortuus, provinciam et coelum nominis sui celebritate implevit.* In veteri chronico Monasteriensi appellatur *sanctus pater*, et Crantzius l. I. c. 25. testatur, omnium opinione dignum fuisse, qui sanctorum catalogo adscriberetur: *Mimigardevordensi*, inquit, *ecclesiae post s. Ludgerum praeficitur Gerfridus nepos eius, qui praedecessoris sui vitam et mores imitatus, dignum se tanto viro praestitit successorem: nam et operibus virtutum et miraculorum gloria non caruit, digne omnium opinione in sanctorum numerum referendus.* Compendium vitae eius priusquam incipiamus statuenda sunt haec:

1. Nepotem s. Ludgeri fuisse Gerfridum, satis constat ex iis, quae in prologo ad vitam s. Ludgeri clare scribit Altfridus; fuisse autem ex illius sorore nepotem ex eiusdem Altfridi verbis colligitur: *quod ex Liafburga duo episcopi fuissent oriundi, sanctus videlicet Liudgerus et Hildigrimus, ceterorumque episcoporum genitrices futurae.*

2. Gerfridum a s. Ludgero, avunculo suo, sacris litteris imbutum et ad vitam ecclesiasticam institutum esse, testatur idem Altfridus hisce verbis: *Exempla etiam et actus s. Ludgeri ideo plene comprehendere nequeo, quia non ex visu, sed auditu didici, illis attestantibus, qui ab infantia illum noverant, atque ab eo eruditi fuerant, Hildigrimo scilicet episcopo nepote eius.*"

3. B. Gerfridum una cum Hildegrimo episcopo Halberstadiensi coenobii Werthinensis rectorem fuisse post decessum s. Ludgeri, constat ex antiquis donationum tabulis datis anno DCCCXIX. apud

Digitized by Google

Lacomhletum I. c. I. p. 19. Quod autem Erhardius coniicit l. c. p. 89, s. Ludgeri fratrem Hildegrimum post illius obitum per aliquod tempus episcopum Monasteriensem fuisse, plane improbabile est, quod alias pluribus demonstrabimus. A beato Gerfrido dioecesi Monasteriensi recuperatam esse ecclesiam *Saxlinga*, i. e. Lingensem, constat ex diplomate Ludovici imperatoris dato anno DCCCXXI., in quo imperator donationem aliquam coenobio Visbecensi factam confirmans *excepta una*, inquit, *ecclesia in Saxlinga, quam concessimus ad parochiam sancti Pauli reverti; ad locum, qui vocatur Mimigernaford, ubi Gerfridus episcopus praeesse videtur.* (Apud Schatenium, Ann. Paderb. I. p. 44).

4. Etiam in vita variis effulsit miraculis, quae olim apud Werthinenses conscripta fuere; vetus enim chronicon Monasteriense haec habet: *Gerfridus, nepos s. Ludgeri, sibi in ecclesia successit et etiam diversis virtutibus et signis claruit, quae in hoc opusculo non sunt scripta; sed in Werdena et in aliis locis, in quibus operata sunt, scripta sunt.* Ex his igitur exiguis documentis, quae de illo supersunt, brevem epitomen eius vitae componere conabimur.

Monasterienses oculos suos nondum plene exsiccaverant a lacrimis, quibus in funere s. Ludgeri episcopi et patris sui diffluxisse visi erant, cum iterum sidus novum beneficio Caroli Magni imperatoris illucescere sibi viderunt in b. Gerfrido, s. Ludgeri nepote, et omnium virtutum pastoralium haerede integerrimo. Avos ille maternos habuit s. Ludgeri parentes Thiadgrimum et Liafburgum, utrumque non virtute minus, quam natalium splendore nobilem: avunculos autem s. Ludgerum et b. Hildegrimum, cognomento seniorem, de quibus plura supra diximus; materteram s. Heriburgam virginem atque collegii virginalis Nottelensis primam abbatisssam: matrem denique horum trium beatorum sororum, cuius nomen veteres memoriae non prodiderunt. Educatio eius fuerat omnino sancta, innocens et impolluta: neque enim ignorabant parentes optimi, aetatem puerorum teneram, molli cerae quam simillimam esse, cui, quam quisque voluerit, imaginem facile imprimat. Quidquid audiebat domi puer, tale dumtaxat erat, quod ad virtutem duceret.

Post ubi paululum iuveniles annos exuit, s. Ludgero avunculo suo commendatus est, ab eoque non solum litteris et scientia, sed etiam sanctissimis vitae praeceptis ita institutus

Digitized by Google

est, ut eo mortuo omnium eius virtutum vivacissima imago in ipso resplendesceret. Laborum itinerumque s. Ludgeri saltem extremo tempore perpetuus pene comes et adiutor fuit. Cum hoc ille peragrare pagos, excitare scholas, parochias instituere, catechesin christianam tradere, evangelium salutis praedicare, baptismo conversos tingere, nutantes confirmare solebat. Ideoque dignissimum iudicabant omnes, in quem aliquando Monasteriensis infula transiret. Neque defuit coelum votis. Postquam enim s. Ludgerus, quem veluti magnam lucem sese e terris in coelos extollentem vidit in itinere, morte beatissima suos labores et vitam clausit Billerbecae anno DCCCIX., brevi post b. Gerfridus a Carolo Magno imperatore eidem subrogatus, et episcopali sacerdotio initiari iussus est. Magnam haec imperatoris nominatio laetitiam peperit apud omnes: patria tota, etiamsi madentibus adhuc oculis defuncti pastoris funeri ingemisceret, eundem sibi visa est recepisse, putabatque suis auribus insonare verba: ***Mortuus est pater eius, et quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.*** (Eccles. 30, 4).

Dolendum est interea vehementer, quod, uti aliorum, sic etiam huius b. praesulis acta nobis subtraxit edax vetustas, aut incuria scriptorum veterum. Coenobium Werthinense a s. Ludgero sibi commendatum administravit una cum avunculo Hildegrimo annis plurimis illudque non exiguo bonorum ac possessionum incremento auxit. Ecclesiae Monasteriensi divi Pauli vindicavit ecclesiam et districtum Lingensem, quem eo tempore *Saxlingam* appellabant. Claruit plurimis magnisque miraculis, quorum descriptionem olim a Werthinensibus custoditam nescio quis casus abstulit. Obiit sanctissime anno DCCCXXXIX. die XII. Septembris, postquam dioecesi Monasteriensi praefuit annis triginta; eiusque corpus Werthinam deportatum est, ubi inter quinque consanguineos episcopos quiescit cum hoc epitaphio:

Gerfridi patris tumbam venerare fidelis,
Cuius apud dominum forte viget meritum.
Idus Septembris persolvit debita carnis
Deponens massam pridie corpoream.

Digitized by Google

XIV.

B. Thiatgrimus,

episcopus Halberstadiensis.

Refertur cum titulo sancti a W. Rolewinckio l. III. c. 8., ubi haec sunt: *In Werdena s. Thiatgrimus, cognatus s. Ludgeri, secundus episcopus Halverstadensis;* a Canisio ad diem VIII. Februarii, ubi sic scribit: *„Item des heyligen Thiatgrimi des andern Bischofs zu Halberstatt, so zu Werdena ruhet;* ab Arnoldo Wione, Ferrario, Greveno aliis. Cum titulo beati a Theodoro Ray ad diem eundem et Aegidio Gelenio in fastis, ubi haec sunt: *In Rhurae fluvii Werda seu insula, monasterio dioeceseos Coloniensis ordinis s. Benedicti, depositio b. Thiatgrimi episcopi Halberstadiensis, beatorum Ludgeri et Hildegrimi episcoporum ex fratre nepotis.* Eundem referunt continuatores Bollandi Tom. VII. Junii in indice sanctorum in sex primos anni menses et Bollandus ipse ad diem VIII. Februarii inter praetermissos. Crantzius l. l. c. 26. hoc illi elogium tribuit: *Halberstadensis ecclesia post Hildegrimum suum, quo diu feliciter fruita est, meruit sub Ludovico imperatore non minorem habere in sanctitate et iustitia pontificem Tiatgrinum.* Annum et diem, quo mortuus sit b. Thiatgrimus eiusque praecessor Hildegrimus, indicat Annalista Saxo apud Pertzium l. c. p. 573 et 575. De vita et actis illius nihil amplius exstat.

Postquam s. Hildegrimus, frater s. Ludgeri primusque ecclesiae Halberstadiensis episcopus, die XXI. Decembris anno DCCCXXVII. ex hac vita migravit; utriusque nepos b. Thiatgrimus, avunculorum suorum vestigia persequens, per duodecim annos magna cum iustitia vitaeque sanctitate ecclesiae Halberstadiensi praefuit. Sicut illi duo, sic Thiatgrimus quoque coenobii Werthinensis fuit rector. Quare cum anno DCCCXL.

Digitized by Google

die VIII. Februarii hanc vitam reliquisset, corpus eius in eodem monasterio sepultum est. Ostendebatur olim ibidem marmoreum eius sepulcrum in introitu cryptae ad laevam, incisumque erat eius sarcophago hoc epitaphium:

Hac recubant fossa Thiatgrimi praesulis ossa,
Terra tenet corpus, pneuma tenet dominus.
Idibus in Februi senis obiit assecla Christi,
Promeritus vitae gaudia perpetuae.

Digitized by Google

XV.

S. Meimelphus,

ecclesiae Mindensis diaconus et confessor.

Refertur cum titulo sancti in ordine ac serie episcoporum Mindensium, quae praemissa est synodo dioecesanae sub Francisco Guilelmo, Mindensi episcopo, habitae anno MDCXXXII. die XV. Octobris.

De s. Meimelpho nihil memoriae traditum est, nisi eum vixisse tempore Hardwardi, secundi ecclesiae Mindensis episcopi, et clarum fuisse sanctitate vitae ac miraculis. In serie enim episcoporum Mindensium supra laudata, ubi de Hardwardo dictum est, haec sequuntur: *Sub hoc floruisse fertur s. Meimelphus, diaconus et confessor, in dioecesi Mindensi miraculis clarus.* Similiter Petrus Cratepolius in catalogo episcoporum Mindensium post Hardwardum episcopum secundum subiicit haec verba: *S. Meimelphus, diaconus et confessor, tempore Caroli Magni in hac dioecesi vita et miraculis fulsit et bono fine quievit.* Hardwardum autem obiisse anno DCCCLIII., testantur annales Fuldenses, qui ad eum annum haec perhibent: *Hadowart quoque, Mimidensis episcopus, XVI. Calendas Octobres diem clausit ultimum, cathedramque suam Thiotrico dimisit.* Haec, ut scias, quo tempore s. Meimelphus vixerit, cuius de vita ac miraculis nihil hactenus reperire licuit.

Digitized by Google

XVI.

B. Altfridus,

tertius episcopus Monasteriensis.

Refertur cum titulo beati a Gelenio in fastis ad diem XXII. Aprilis hisce verbis: ***In Rhurae transrhenanae insula, seu in monasterio Werthina, ordinis s. Benedicti, beati Altfridi, Monasteriensis episcopi et affinis s. Ludgeri.*** Sanctitas eius commendatur in omnibus catalogis et annalibus episcoporum Monasteriensium. Chronicon Monasteriense vetustissimum his verbis eum praedicat: ***Altfridus, multae devotionis, humilitatis et sanctitatis, sed non est translatus.*** (Apud Fickerum: ***Geschichtsquellen des Bisthums Münster.*** Vol. I. p. 7). Matthaeus Tympius in catalogo episcoporum Monasteriensium eius elogium his verbis incipit: ***Altfridus praecessorum cognatus, ut sanguine, ita et sanctitate prodigiisque iis proximus.*** Crantzius l. l. c. 75. ita scribit: *Successor illi* (b. Gerfrido, episcopo Monasteriensium secundo) ***datus est Altfridus, vir magnae devotionis et sanctitatis: unde et ecclesiae suae et populo sibi commendato in diebus suis utiliter et fructuose praefuit.*** Stangefolius l. II. p. 133. celebrat illum hac insigni laude: ***Gerfrido in Monasteriensi episcopali sede substituitur Altfridus, eius cognatus, et tam sanguine, quam sanctitate prodigiisque suis duobus antecessoribus proximus.***

B. Altfridum fuisse b. Gerfridi nepotem, illius et pronepotem s. Ludgeri, haud obscure indicat Altfridus ipse in vita s. Ludgeri, ubi narrat, matrem s. Ludgeri in pueritia sua mirabili modo conservatam esse ab interitu, eo quod ex ea duo episcopi essent oriundi, sanctus videlicet Ludgerus et Hildegrimus, *celerorumque episcoporum genitrices futurae*.

Altfridus ultimus episcoporum Monasteriensium fuit, qui rectoris monasterii Werthinensis munere functus est. Inde enim ab eius morte illud monasterium suae ipsius potestatis factum est, atque in eius monachos abbatem potestas translata est eligendi. Anno ante, quam exstinctus est, eidem coenobio comparavit partem alicuius

Digitized by Google

silvae. In litteris hac de re anno DCCCXLVIII. datis haec sunt: *In Christo patri Altfrido gratia dei episcopo, ego Gunthard et Athilwini venditores. Constat, nos tibi vendidisse, et ita vendidimus comprehensionem nostram in silva Witherowald, quam homines tui una nobiscum circuierunt et novis signis affirmaverunt. Et accepimus a te pretium pro ea, sicut inter nos convenit, hoc est libras tres, in ea ratione, ut post hunc diem ipsa comprehensio ad proprium vestrum monasterium pertineat, quod vocatur Werthina.* (Apud Lacombletum l. c. I. p. 29). B. Gerfridum morte occubuisse die XII. Sept. anno DCCCXXXVIII., scimus ex Annalibus Corbeiensibus (apud Pertzium l. c. III. p. 3); Altfridum autem vitam posuisse die XXII. Aprilis anno DCCCXLIX. docet Necrologium Werthinense.

Sub finem anni DCCCXXXVIII. beato Gerfrido, episcopo Monasteriensi, successit b. Altfridus, antistes tertius, vir eximiae devotionis, et uti cognato sanguine, sic etiam sanctitate et prodigiis non solum illi, sed etiam sancto Ludgero proximus. Eo tempore exarserat hic locorum acris controversia partim de mysterio sanctissimae Trinitatis, partim etiam de vera Christi praesentia in sacrosancto altaris sacramento. Multi enim Christianorum, apud quos naturale rationis lumen pluris valebat, quam auctoritas verbi dei, in iudaismum aliquem aut haeresin iudaismo proximam devoluti eo temeritatis iam devenerant, ut auderent dicere cum Capharnaitis: *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo: et quis potest eum audire?* (Joh. VI). Stulta enimvero et imprudens cogitatio! Divinae virtutis efficaciam nostris ingeniis metiri velle, et ab omnipotente rerum omnium architecto interrogare, *quomodo potest?* Pulchre Cyrillus Alexandrinus l. IV. in Ioannem c. 13. „*Quomodo,* inquit, *summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem deum ita contemnunt, ut istud quomodo in operibus eius dicere audeant? si tu, o Judaee, quomodo etiamnunc clamas, libenter rogabo te, quomodo ex Aegypto exiisti? quomodo in serpentem Mosaica fuit virga conversa? quomodo in naturam sanguinis aquae transierunt? quomodo patres tui per media maria, ut aridum effugerunt? quomodo e lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Jordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Jericho cecidit? Innumerabilia sunt, in*

Digitized by Google

quibus, si quomodo quaeris, universam evertere tibi scripturam necesse erit, prophetarum doctrinam et ipsius Moysis scripta contemnenti.

Auctor istius controversiae, et praecipuus adversantium incensor erat Wilhelmus quidam, palatii cancellarius, homo litteratissimus quidem, sed omnino pertinacis cerebri. Is, cum eius filia duodennis ad primam eucharistiae perceptionem ab Altfrido perducta esset, non solum ausus est, mysterium illud infacete irridere, sed etiam datis ad Altfridum litteris palam obiectare, frustillum illud panis, quod filiae suae in templo porrectum esset, eius animae nihil magis, quam corpori profuturum. Quae autem de sanctissimo Trinitatis mysterio a Christianis buccinari solerent, tam parum veritati propinqua esse, quam quod filia sua ex illo panis accepti frustulo triennium perdurare, et absque alio cibo ac potu vitam extrahere possit.

Cum Altfridus meditaretur, qua ratione infrunitum illud os obstrueret impediretque, ne pestis illa graviore damno in plures serperet, animadvertebat facile, argumentis et rationibus nihil agi posse cum isthoc homine: quippe qui de genere istorum esset, de quibus olim dixit Christus: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* (Joh. IV. 48). Coelum itaque in suppetias vocaturus, extemplo ad preces convolat deumque obtestatur instantissime, ut medelam huic malo repentinam conferat: mysteria, quae modo ab inimicis impugnentur, altiora esse, quam ut scelus a fide sufficienter cognosci, nedum demonstrari possint: aliam hic probationem, signa nova ac prodigia contra posteros peti; alioquin periculum fore, ne vel totus grex fidelium, vel non exigua eorum pars unius scabie cadat et porrigine porci. Mira res! Statim ab eo tempore puella ista, Wilhelmi irrisoris filia, omnem sui corporis refectionem visa est abnuere, totoque dein triennio absque omni victu vitam ducere, semper vegeta, semper firma, sospes et incolumis. Eo miraculo non pauci ad fidem catholicam paulatim reversi sunt: plures, qui in ea iam vacillabant, efficacius confirmati. Wilhelmus ipse, infidelium istorum dux, quamvis paene ad fidem anni tertii in sua pertinacia immobilis permaneret, tandem expugnatus errorem deposuit, seroque

Digitized by Google

didicit, quam verum sit illud: *Quia non erit impossibile apud deum omne verbum.*" (Luc. I.). Ut autem accuratius videret, rem eiusmodi nonnisi divina virtute perpetratam esse, accessit eodem tempore eventus alius, priore haud paullo prodigiosior. Cum enim Wilhelmus peracta iam poenitentia ad filiam suam regressus eiusque manum paterno affectu complexus esset, ipsa continuo quasi in soporem lapsa ac dormienti similis innocentem animam exspiravit, quasi iam non amplius corporalem sibi vitam cuperet, postquam suo patri spiritualem retulisset. Plura huiusmodi a b. Altfrido divinitus effecta esse, sed non perscripta, testatur vetustissimum chronicon Monasteriense. Praefuit autem b. Altfridus ecclesiae Monasteriensi usque in annum undecimum cum singulari humilitate, religionis zelo, innocentia vitae et morum sanctitate. Totidem quoque annis monasterio Werthinensi sub nomine rectoris praefuit, eidemque partem aliquam silvae Witerowaldiae numerata pecunia acquisivit. Vitam denique s. Ludgeri episcopi a monachis Werthinensis coenobii rogatus singulari prudentia et accurate concinnavit. Ipse in ea profitetur, sola caritate se ad hunc libellum scribendum impulsum esse, tum quia nefas putavisset, tanti viri latere virtutes, tum quia nonnulli essent, quos ad amorem patriae coelestis plus exempla quam praedicamenta succenderent. Obiit die XXII. Aprilis anno DCCCXLIX., eiusque corpus statim a morte ad monasterium Werthinense deportatum, in ecclesiae crypta inter alios episcopos ei consanguineos ad caput b. Hildegrimi Halberstadiensis episcopi tumulo intectum est cum hoc epitaphio:

Altfridus tumulum praesul sibi vendicat istum
Pneuma creatori dans cinerem cineri.

Exstant de eodem plures antiqui versus, ac praesertim isti duo veterem simplicitatem redolentes:

Tertius Altfridus fulsit clero quasi sidus.

Nos eiusdem honori plectrum resumimus, et illius sepulcro inscribimus hosce versus:

Ludgeri vitam scriptis Altfride dedisti;
O utinam pariter sic tua scripta foret!

Digitized by Google

Vixisti sancte: per te didicere fideles,
Magnum sub modico pane latere deum,
Post ubi per sanctos abiit tibi vita labores,
Astra tenent animam, Werthina corpus habet.
O! tua tunc etiam si Werthina gesta notasset,
Quam foret exuviis Werthina digna tuis!

Digitized by Google

XVII.

Hardwardus,

episcopus Mindensis secundus.

Refertur cum titulo sancti a Ferrario; cum titulo beati a Gelenio in fastis ad diem XIII. Aprilis, ubi sic habet: ***Mindae b. Hardwardi episcopi.*** Papebrochius ad eundem diem refert illum inter praetermissos et in alios dies reiectos, idque ideo, quod in Breviario Mindensi nulla fit eius mentio: breve tamen elogium eius e Crantzio addidit hisce verbis: ***Haduardus, secundus episcopus ecclesiae Mindensis in Westphalia, sanctitate et religione praecipuus, Idibus Aprilis transivit ad dominum.*** Copiosius de eo Miräus in catalogo episcoporum Mindensium, cuius verba ipsa in vita brevi b. Hardwardi, quam componere conabimur, proferemus. Ex ***Traditionibus Fuldensibus***, quas edidit Dronke, c. IV. n. 9, c. XLI. n. 12. sequitur, iam anno saltem DCCCXXXVI., quo reliquiae s. Viti Corbeiam translatae sunt, Hardwardum Mindensi ecclesiae praefuisse; eum autem posuisse vitam anno DCCCLIII. die XII. Septembris docent annales Fuldenses, quorum testimonium supra in vita s. Meimelphi allatum est.

Postquam b. Hercumbertus, primus ecclesiae Mindensis episcopus vitam reliquit, Hardwardus, „vir [1]) pietate ac religione insignis, secundus antistes ei praefectus est. Impositam sarcinam non detrectavit; verum in vinea domini ut diligens vinitor atque agricola laboravit; et ob hanc solam causam, ut plurimae piorum animae iustorum albo adderentur, ad mortem usque sese impendit. Cum tales animos in suis

[1]) Haec Miraeus l. c. tradidit.

Digitized by Google

praesulibus cernerent Saxones, sub iugum Christi leve non gravatim sese submiserunt: non enim eos tributis gravabant; non quaerebant sua, sed eorum aeternam salutem. Tandem bonus pontifex plenus pietatis operibus ad deum transiit“ die XII. Septembris anno DCCCLIII. Plura de hoc beato antistite nusquam reperire licuit; neque res ab eo gestae videntur unquam fuisse perscriptae, magna, ut ait Crantzius, iactura, magna patrum nostrorum dissimulatione, qui res tantas literis non mandaverunt.

Digitized by Google

XVIII.

B. Geva,

fundatrix collegii et ecclesiae Freckenhorstensis.

Refertur cum titulo beatae in antiquissima vita s. Thiadildis, primae abbatissae Freckenhorstensis, apud Bollandum ad diem XXX. Januarii. Eodem titulo eam honorat Ioannes Gamansius in commentario praevio ad vitam s. Thiadildis. Freckenhorstii quidem ad laevam aram maximae, in ostio cuiusdam armarii, in quo forsan reliquiae aut alia suppellex sacra olim recondi solita est, eius imago veteri penicillo depicta cernebatur cum hac inscriptione: ***Geva illustris ex Frisia.*** Sed quoniam verba haec teste Gamansio l. c. primum pervetustae imagini apposita sunt anno MDCX., quo eidem imagini novus color inductus est; nescio, an huic auctoritati fidem satis firmam habere liceat, praesertim cum in antiquissima vita s. Thiadildis, ex qua omnis memoria huius beatae coningis ad nos transmissa est, nulla de tali patria et origine Frisia fiat mentio. Plurima, quae ad vitam illius attinent, fusius commemorata sunt in primo huius opusculi volumine ad vitam b. Everwordi. Diploma de fundatione monasterii Freckenhorstensis datum (apud Kindlingerum ***Münstersche Beiträge***, Vol. II. p. 9. sqq.) in ipsa Gevae vita dabimus.

B. Geva, sanctae Thiadildis amita, nata est parentibus nobilitate pervetusta claris. Quo in loco quaque in provincia ii sedem habuerint, non satis liquet. Ad annos coniugio maturos cum pervenisset, in dioecesi Monasteriensi in regione vici Ewerswinkel vel alio versus Freckenhorstium viciniore loco, nupta est b. Ewerswordo, viro nobilissimo et plurimorum in ea vicinia agrorum possessori. Huic illa non minus sapientia ac morum sanctitate, quam ingenita oris vultusque

Digitized by Google

gratia placere studuit; memor illius, quod Salomon ait: *Fallax gratia et vana est pulchritudo: mulier timens dominum ipsa laudabitur.* (Prov. 31.). Omnis vita erat plena pace, concordia, caritate; et quamvis fortunis opibusque maximis adeo circumfusi essent, iis tamen ad avaritiam aut vanitatem saeculi nequaquam abusi sunt, sed potius secundum apostoli praeceptum *tamquam nihil habentes et omnia possidentes,* ambularunt coram domino *in veritate et in corde perfecto.*

Unum, quod beatos coniuges initio nonnihil affligebat, erat penuria ac defectus sobolis: hunc autem, ut modo, quo possent, optimo resarcirent, primum communi voto adoptarunt Thiadildem, b. Gevae ex fratre neptem, quam aliquot annorum puellam domi suae nutriendam susceperunt. Post etiam sanctioribus monitis coelitus eruditi, ad ecclesiam una cum illustri puellarum collegio construendam animos adverterunt. Locus eum in finem delectus est in silva iuxta castrum eorum, quod Freckenhorst vocabatur, sita: hunc enim non modo coeleste lumen saepius de nocte visum, sed etiam s. Petrus, funiculo terram ac templi fundamenta mensus, praesignaverat dixeratque Ewerwordo: *Ego Petrus apostolus ut sapiens architecta fundamentum posui; tu autem videas, quomodo superaedifices.*

Non alienum videtur a re, litteras huc transscribere a beatis illis coniugibus de fundatione eius collegii datas.

„In nomine Domini Jesu Christi aeterni Dei filii redemptoris humani generis amen. Coelestis creator omnium, cuius inscrutabilis providentiae altitudo non includitur limitibus, et quem coeli coelorum non continent, sic affectu praecipuo consubstantialis filii sui sanguine Profectum ac decorem populi crescere disposuit, ut in locis rationalibus ministerio et officio Episcoporum delibutis veneraretur sanctum per saecula nomen eius. Idcirco nos peccatores Ewerwordus et Geva coniuges in Freckenhorst forestum Castro nostro contiguum, in quo suprema claritas mirabilia inspiraverat nobis, auctoritativo consilio venerabilis patris Ludberti episcopi Sedis in Mimigarde, funditus exscindi et eradicari iussimus, et in eo luminis loco in adorationem summi et aeterni Dei beati Petri Apostoli ac beati patris Bonifacii, ac venerationem sanctorum Martyrum ibi

Digitized by Google

quiescentium, religionis christianae conservationem et augmentum conspicuum Templum e fundamentis exstruximus, illudque vasis aureis et argenteis accumulavimus. In eo autem noctibus et diebus amaro cum fletu et dolore Dominum obtestati fuimus, ut ex misericordia sua tolleret opprobrium sterilitatis a connubio nostro; sed propter peccata ira Dei prolongata est in nos, et clementia divina obduravit aures ad lamenta nostra. Hinc est, quod propagationis carnalis, ad quam animum et cogitationes adieceramus nimis, desiderium ex toto corde cum lacrimis deponentes ad spiritualis posteritatis generationem nos convertimus, erecti in spem coelestis retributionis ac peccatorum expiationis, quam liberali hac donatione mereri sine haesitatione confidimus, cum scriptum sit: date et dabitur vobis, filios et filias nobis adoptamus.

Filios quidem sacerdotis Dei altissimi cum diaconibus, quorum Luitoldus senior primicerius erit, venturis diebus aeterno Deo oblationem facient pro remediis salutis animarum nostrarum gratiarum actione beneficiorum, et remissione peccatorum diaconibus ministrantibus. Luitoldus sacram baptisma fidei praedicabit et plebem reconciliabit, ut via salutis et misericordiae, quae est in Christo Jesu, aperiatur non credentibus. Sane ut munificentiam nostram piis incitati ostendamus, et quantum valemus, temporalium necessitatum curas filiis nostris imminuamus, damus ipsis hac irrevocabili pagina pro dote et alimentis curtiferos duos in Otomar cum beneficiis ministerialibus quatuor ibidem: in Tharendorpe curtiferum Husen, in Foberg curtiferum unum. Census illorum praediorum hi sunt: solvunt curtiferi in Otomar duodecim modios siliginis, duos tritici, hordei quinque, fabarum unum, viginti caseos, ova centum, sex pullos, duos anseres, porcum saginatum. Ministeriales ibidem vaccam unam bonam, haedos octo cum triginta duobus denariis; tempore messis servitia octo cum curribus et equis praestant, post decem annos quisque pendit equum unum. Curtifer Huusen duos modios tritici, quindecim modios siliginis, duos hordei, quatuor avenae, unum modium fabarum, bis viginti caseos, anserem unum, pullos decem, porcum mediocrem. Curtifer in Foberg cum molendino, quod habet in Amasi fluvio, duodecim modios frumentorum omnis

Digitized by Google

generis, caseos viginti et decem, anseres octo, pullos bis octo, denarios viginti. Damus item decimam, quam possidemus in regione Ravenspurg. Luitoldus habitabit in domo curtiferi Stauffen, reliqui sacerdotes cum diaconibus habitabunt in casis in Strata versus Otomar, quas ipsis concedimus.

De filiabus quoque nostris sic disponimus. Adoptamus filias ingenuas boni nominis, non servas, non manumissas: instruentur in cultu et lege Dei per Luitoldum; orationem ament iugiter divinis mancipatae officiis; sint misericordes in pauperes, consolatores viduarum, Deum in omnibus timentes, peregrino advenienti in coenaculo atrii interioris lavabunt pedes, et dabunt ei lintea duo cum denariis decem, cibum et potum ministrabunt ei diebus sex.

Ut autem congregatio filiarum sit ordinata, ego peccatrix Geva regam illas, quamdiu vivo: post mortem meam praeficimus illis Thiadildam Dei famulam, quae illas regat; qua decedente sorores aliam sanctitate probatam, audito omnium consilio eligent. Illis etiam in perpetuum proprietatis usum concedimus firmiterque donamus ratis manentibus supra scriptis, castrum nostrum Freckenhorst ad nos haereditate devolutum cum utriusque sexus mancipiis, agris, campis, sylvis, pascuis, hominibus ministerialibus, vaccis, porcis et ovibus omnibusque moventibus ac lege, ut futuris temporibus hisce fruantur.

Constituimus, volumus et ordinamus insuper, ut si quis ex filiis nostris sacerdotibus, diaconibus aut filiarum congregatione obierit, alium vel aliam in earum locum substituendi et nominandi facultas non impedita penes nos permaneat; postquam autem sors beata et extrema nos corpore mortalitatis solverit, praecipimus et decernimus, ut Thiatilda devota Dei famula aut illius in perpetuum successores a sororibus eligendae, quoties sacerdotium aut diaconia aut locus in congregatione filiarum vacaverit, vel aliquis vel aliqua se indignum largitionibus nostris reddiderit, de illo libere et omnimode disponant, sine ullius impedimento potestatis saecularis aut clericalis interventu ordinent, provideant eodem modo, qualitate et statu in memoriam nostri, uti nos, si in vivis essemus, ordinaremus, disponeremus, et potestate per praesentis fundationis et dotationis tabulas acquisita faceremus.

Digitized by Google

Consensit nobis, approbavit, ratificavit, et laudavit hanc voluntatem nostram in omnibus et singulis venerabilis Pater Ludbertus, Episcopus Sedis in Mimigarde, salvo censu a viris presbyteris ei persolvendo.

Insuper hanc congregationem fidelium sic instituimus, ut sit sub protectione Ludovici excellentis et invictissimi Regis. Prohibemus autem, ut nec ipsi nec alicui eius ministro liceat iniusto gravamine illam infestare, sed etiam tantum sicut scripto Excellentia regalis firmavit, cum mancipiis et possessionibus suis defendere, tueri et iustitiam super querelis depositis administrare debeat. Servitium vero nullum propter hoc exigat. Super haec etiam nullam potestatem disponendi in congregatione sororum, mancipiis aut possessionibus sacerdotum aut ecclesiae eidem Excellentiae regali concedimus, sed pro munere suo Excellentia regalis aeternam mercedem requirat.

Si quis autem Ecclesiae in Freckenhorst sororum aut sacerdotum aut bonorum eorundem invasor exstiterit, sive huius voluntatis nostrae in perpetuum valiturae decreta infringere, vel annullare temptaverit, nisi pravos conatus emendarit, deleatur de libro viventium, et cum iustis non scribatur; sed cum iis portionem accipiat, quorum vermis non moritur, nec ignis extinguitur: qui vero hanc voluntatem nostram observaverit, in sorte electorum in die Domini inter benedictos veniat coronandus.

Acta sunt haec in ecclesia in Mimigarde pridie nativitatis Domini nostri Jesu Christi, anno octingentesimo quinquagesimo primo. Testes sunt venerabilis pater Ludbertus Episcopus; Thiemo Scolasticus, Chounradus custos, Meinolphus, Meinardus, et caeteri fratres cum aliis plurimis testibus."

Primum exstrui coeptum est templum, quod a Luidberto, episcopo Monasteriensi, consecratum est in honorem s. Petri apostoli. Deinde in circuitu eiusdem oratorii etiam aedificata sunt refectorium tam hiemale, quam aestivale; item cellaria vino et cerevisiae recondendis apta, granaria pro inferendis et collocandis frugibus, coquina, dormitorium, aliaque habitacula et officinae plurimae, iuxta morem antiquum requiri solitae. Quae omnia cum ad annum circiter DCCCLX. vel paullo post ad fastigium perducta essent, etiam cetera, quae

Digitized by Google

ad stabilem collegii virginalis fundationem pertinebant, accuratius digesta sunt, brevique post duodecim virgines ad vitam canonicam congregatae. Prima sacro illius coetui praefuit b. Geva ipsa. Postquam enim Ewerwordus omnem ad res terrenas affectum ex animo deposuit, neque multo post uterque coniux communionem sui thori consensu mutuo abdicaverunt; Ewerwordus ad Fuldense monasterium abiit, religiosum habitum ibidem induturus, Geva autem vitam canonicam inter virgines deo sacras amplexa est Freckenhorstii, ubi ab episcopo velata deoque consecrata est.

Aliquamdiu abbatissae munere egregie functa, tandem in summa devotione et virtutum praeclarissimarum exemplis animam exspiravit die II. Maii, anno nobis adhuc incognito. Post eius obitum collegio Freckenhorstensi praefuit s. Thiadildis, quae iam annis maturior diuturna sollicitaque institutione sic ad omnem adoleverat laudem pietatis, ut ab eximia suae sanctitatis monumenta etiam divorum catalogo meruerit post mortem inseri. Ea praeeunte magna inter omnes florescere coepit morum sanctitas. Sepulcrum s. Gevae paullo elevatius etiamnunc perstat in exteriore choro inter sacellum s. Thiadildis et cancellos, qui plebem ab eo choro secernunt; eidemque imposita est statua quaedam ex albo lapide, quae Gevam exhibet iusta longitudine, vittatam, implexis capillis, decenti toga et oblongo indutam pallio cum hac inscriptione:

Corpore defuncta tumulo iacet hoc Geva iuncta,
Huius fundatrix templi, virtutis amatrix:
Quam pia dextra dei sanctae iungat requiei,
Vivat ut in coelis hoc oret quisque fidelis.

P. Strunckius ad honorem eius beatae mulieris hocce novum encomium cecinit.

Geva deo sacram sacris vestalibus aedem
Condidit, et multis nobilitavit agris.
Post, ubi vir cuperet monachalem assumere vitam,
Non renuit sterilem dissociare torum:
Sic dedit ergo deo proprium simul illa maritum,
Et bona, quae tenuit, plurima seque simul:
Nec poterat melius sua seque impendere Christo
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Digitized by Google

XIX.

S. Gosbertus,

quartus episcopus Osnabrugensis.

Refertur cum titulo sancti in catalogo episcoporum Osnabrugensium, qui praemissus est synodo anno MDCXXVIII. sub Francisco Wilhelmo episcopo habitae et eiusdem mandato typis excussae, ubi quarto loco inter ecclesiae istius antistites refertur hisce verbis: *S. Gosbertus, discipulus s. Anscharii, apostoli Sueciae.* Eundem titulum constanter illi tribuit Athenaeum christianum urbis Osnabrugensis, impressum anno MDCXXX., et Cratepoleus in catalogo episcoporum Osnabrugensium, ubi exornat illum hoc elogio: *S. Gosbertus ex schola s. Ansgarii, praestantissimi apostoli Suediae, huic ecclesiae datus est antistes. Fuit quidem strenuus verbi dei concionator: verum rebus in ecclesia turbatis ad suum magistrum Ansgarium, qui tunc temporis erat sedis apostolicae legatus, sese contulit.* In dioecesi Osnabrugensi colitur sub ritu duplici ad diem tertiam Februarii, uti videri potest in officiis propriis istius dioecesis, auctoritate Francisci Wilhelmi Osnabrugensis episcopi anno MDCLII. editis.

Quae de eius vita ad nos pervenerunt, sunt apud s. Rembertum in vita s. Anskarii (apud Pertzium, ll. p. 692 sqq.) Cum s. Gosbertus cum Ebbone, Rhemensi archiepiscopo, propinquitate sanguinis coniunctus esset, cuius rei testimonium praebet s. Rembertus in vita s. Anscharii (apud Pertzium, l. c. ll. p. 710), Ebbonem vero natione fuisse Saxonem veri sit simillimum (cf. Moeser, *Osnabrückische Geschichte*, II. p. 292); Gosbertum quoque inter Saxones natum esse probabiliter coniicitur. Adamus Bremensis appellat eum *nepotem Ebbonis.* Gosbertum, episcopum Osnabrugensem, eundem esse, qui apud s. Rembertum in vita s. Anskarii Gauzbertus vocatur, plane sequitur ex verbis Egilmari, episcopi Osnabrugensis sexti, in cuius „Querimonia ad Stephanum Papam“ apud Erhardum, l. c. (Codex dipl. p. 36.) haec sunt: „Cum interim Gozbertus de gente Sueonum, quo ordinatus erat, eiectus esset, ... suscepit episcopatum ....“

Digitized by Google

Beatum Gosbertum, quartum ecclesiae Osnabrugensis episcopum, inter Saxones natum esse veri est simillimum. Antequam episcopatum Osnabrugensem susciperet, per complures annos missionem apostolicam obiit apud Suecos, quorum episcopus a s. Anskario, Danorum Suecorumque apostolo consecratus, et cognomento Simon appellatus est circa annum Christi DCCCXXXII. Occasionem huic sacrae profectioni dederant praeclarissimi labores s. Anscharii, qui, cum in eadem Suecia ante annos paucos evangelicae praedicationis ostium feliciter aperuisset, ad missionem hanc e propinquiore loco facilius promovendam non modo primus Hamburgensium archiepiscopus a Ludovico Pio imperatore designatus erat, sed etiam auctoritate pontificia a Gregorio IV. constitutus, ut in Suecia et omnibus regionum septentrionalium provinciis apostolicae legationis munere fungeretur.

Susceperat ille quidem hoc officium cum ingenti zelo et ardore animi; neque recusabat ferre gravissimas aerumnas illas ac taedia, quae iam ante in earum gentium institutione experiri coëperat. Sed quia provinciarum istarum magnitudo amborumque locorum distantia maior erat, quam ut ab uno eodemque homine sufficienter curari possent; cum Ebbone, Rhemensi archiepiscopo, missionum earundem gnaro consilia sua contulit, ab eoque persuasus est, ut ipse stationem suam Hamburgi assignatam coleret; ad Suecos vero evangelii causa Gosbertum mitteret. „Cum consensu itaque et voluntate Ludovici imperatoris venerabilis Ebbo quendam propinquum suum, Gauzbertum nomine, ad hoc opus electum et pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum; cui ministeria ecclesiastica et necessarios sumptus ex sua quam ex dotatione regia abunde tribuit, eumque quasi vice sua, qui idem praedicandi officium (in istis regionibus) prius auctoritate apostolica suscepit, legatum in gentibus Sueonum esse constituit. Cui etiam postea clementissimus Augustus Ludovicus cellam in loco Welanao [1]) ultra Albiam, quasi locum refugii tradidit. Gauzbertus itaque, quem ipsi consecrantes honore aposto-

[1]) Hodie *Münsterdorf* in ripa Sturiae prope Itzehoam situm. Cf. Pertzius l. c. II. p. 699.

Digitized by Google

lici nominis Simonem vocaverunt, ad partes veniens Sueonum honorifice et a rege et a populo susceptus est, coepitque cum benevolentia et unanimitate omnium ecclesiam in urbe Sigtuna fabricare et publice evangelium fidei praedicare. Fiebatque gaudium salutis christianis ibi degentibus et de die in diem numerus credentium augebatur." Sed aliquot annis post magna rerum commutatio accidit. Postquam enim Normanni anno DCCCXXXVII. Hamaburgum vastaverunt et s. Anskarium inde expulerunt, accidit „etiam diabolico instinctu, ut populus Sueonum furore zeli accensus, praefatum Gauzbertum episcopum insidiose persequi coeperit; factumque est, ut ad domum, in qua manebat, unanima conventione pars quaedam populi causa direptionis irruerit, et nepotem quidem ipsius Nithardum nomine, gladio peremerit, et odio christiani nominis percussum, dei, ut credimus, martyrem fecerit. Ipsum vero cum ceteris sociis, qui simul aderant, ligaverunt, et diripientes omnia, quae apud eos invenire potuerunt, contumelia et opprobriis affectos a finibus suis expulerunt. Quod tamen non regio iussu factum, sed populari tantum conspiratione est perpetratum."

Ex eo tempore, ferme ad septennium usque, sacerdotem catholicum non vidit Suecia: interimque Gosbertus episcopus, ut ab aerumnis et apostolatu Suedico tranquillius respiraret, ad ecclesiae Osnabrugensis gubernacula translatus est, suffectusque in locum Goswini episcopi, suo delicto profugi.

Anno enim DCCCXXXIII. Ludovicus Pius imperator detestabili contumelia a Lothario filio suo exauctoratus erat, coactusque a quibusdam episcopis Galliae in Compendiensi conciliabulo nefarie congregatis, ut ibidem in basilica sanctae dei genitricis Mariae, coram universa populi multitudine ornamentis imperatoriis se exueret. Praecipuum istius facinoris incentorem fuisse ferunt Ebbonem, Rhemensem archiepiscopum; cui e Saxoniae praesulibus etiam accessit Goswinus, episcopus Osnabrugensis, eo temeritatis tunc delapsus, ut, quod Egilmarus [1]) testatur, imperatorem publice aggredi, et mucronem ab eo violenter discingere ausus fuerit. Indoluere facile huic exe-

[1]) Egilmarus Vl. Osnabrugensium episcopus, in querimonia ad Stephanum papam. Apud Ehardum, l. c. Codex dipl. p. 36.

Digitized by Google

crando flagitio boni omnes: quorum auxilio piissimus imperator aestate proxima in solium imperiale reductus atque in basilica Dionysiana Caesareis insignibus iterum exornatus est, ea populi totius exultatione, ut etiam ipsa elementa viderentur iniuriam patienti compati et relevato congratulari. Exinde subsecuta perduellium episcoporum castigatio; Ebbo tragoediae totius auctor in concilio apud villam Theodonis archiepiscopali dignitate exutus; Goswinus autem, ut admissi criminis foeditatem religioso vestitu tegeret, ad monasterium Fuldense convolavit, vitamque monachalem complexus est.

Ea occasione Osnabrugensis episcopatus misere discerptus mutilatusque est a Cobbone comite, quem primum Tecklenburgi et locorum vicinorum dynastam asserunt. Is ut suomet sanguini consuleret, nescio quo pietatis praetextu decimas praediaque plurima revulsit ab ea dioecesi, tradiditque monasteriis Corbeiensi et Herivordensi, quorum uni Warinus frater, alteri vero Addila, soror eius abbatissa praeerat. Neque difficile id erat viro tam potenti; praesertim cum in aula imperatoris non infimo loco esset, et Goswinus e sua Fuldensi latebra in dioecesin Osnabrugensem irripere vix auderet, nisi forte semel ac furtim anno quolibet, idque eo dumtaxat tempore, quo imperator a Westfalorum finibus remotiori intervallo abiunctus erat. Ut autem praecaveret, ne ab eiusdem Goswini successoribus tam facile revocari possent avulsae decimae, conabatur omni studio, talem episcopum ecclesiae Osnabrugensi videre ac substituere, qui paupertati ferendae iam assuetus esset, et opulentae quondam dioeceseos antiqua iura non agnosceret. Huic intentioni exequendae commodissima occasio offerebatur a b. Anschario, Bremensi archiepiscopo, quamquam earum fraudum, quae a Cobbone fabricatae erant, minus conscio. Is cum episcopatum Osnabrugensem iam pluribus annis a Goswini fuga vacantem cerneret, per litteras commendatitias comitem Cobbonem adiit petiitque instantissime, ut Gosbertum episcopum, qui e Suecia pulsus ad se confugerat, ad ecclesiae Osnabrugensis infulam Ludovico Germaniae regi praesentaret. Arripiebat hic statim occasionem hanc exoptatam, et quia auctoritate maxima valebat in aula regis, Gosbertum commendabat, virum hunc esse de re catholica meritissimum a s. An-

Digitized by Google

schario pro Suecorum gente olim consecratum, consentiente Ludovico pio regis patre ad Suecos missum, annis pluribus legatione apostolica eodem in regno functum, inde nunc ejectum, pro fide passum, martyribus similem, verbo talem, qui sua sanctitate et exemplis praeclarissimis propediem restauraturus esset, quidquid Goswinus antecessor infidelitate ac malitia sua subvertisset. Multum valuit haec oratio apud regem Cobboni peraddictum, ideoque brevi post Osnabrugensis episcopatus Goswino profugo auctoritate regia abrogatus est collatusque Gosberto, qui eundem ab anno circiter DCCCXLV. sanctitate magis, quam bonorum temporalium sollicitudine administrare coepit.

Interea res catholica iacebat penitus in regno Sueciae, et quamquam post annos fere septem inde a Gosberto expulso Artgarius, anachoreta et presbyter, in easdem terras missus erat, ipse tamen haud alium fere suae missionis fructum retulit, quam quod duos veterum christianorum nobilissimos, quos in illa persecutione tumultuantium barbarorum furor a constantia suae fidei dimovere non potuerat, ad beatae aeternitatis iter sacerdotali praesentia sua felicissime comparaverat. Erant hi duo, Fridburgis matrona admodum religiosa, et Herigarius vir inter suos non minus sanctitate, quam natalium splendore inclytus; quos cum porrectis ecclesiae sacramentis e terrestri vita in coelum praemisisset, deposita Suecorum cura ad vitam anachoreticam reversus est ut hic magis ad horum agones deo commendandos coelesti providentia missus videretur quam ad catholicae religionis incrementa.

Affligebat id summopere b. Anskarium: et quia Sueconum saluti consulere cupiebat ardentissime, iterum circa annum DCCCLIII. experiri coepit, num b. Gosbertum Osnabruga deducere atque ad missionem illam resumendam commovere posset. At ille viribus et sanctitati suae veritus, modeste recusabat hanc provinciam: „id valde proficuum fore posse negabat, imo magis periculosum, si denuo priorum remiscentes aliquid perturbationis circa eum excitarent, sibi magis congruum videri, ut ille iret, qui hanc legationem primo susceperat, quique benigne ibi habitus fuerat, ipse vero cum eo nepotem suum mitteret, qui ibi, si locus praedicandi inveniretur, remaneret, et

Digitized by Google

sacerdotali apud eos officio fungeretur. Hoc itaque ratum inter se decernentes, coram praesentia clementissimi regis venerunt Ludowici, causamque huiuscemodi ei retulerunt, atque ut eius licentia ita fieri permitteretur exorabant. Qui sciscitans, utrum ipsi in hac voluntate concordes fuissent, responsum a venerabili Gausberto pontifice tale accepit: „In dei," inquit, „servitio nos semper concordes et fuimus et sumus, et istud unanimo consensu ita fieri cupimus." Itaque serenissimus rex, in dei causa semper voluntarius, secundum quod inter eos convenerat, legationem hanc pro Christi nomine pastori nostro iniunxit religiosissimo, suae quoque partis, sicuti et pater eius fecerat, ad regem Sueonum mandata ei committens.

Itaque s. Anskarius ad illud iter se praeparare coepit et festinatis itineribus in Sueciam pervenit circa auctumnum, ut opinor, anni DCCCLIII. Appulsus ad aulam regis magna reperit promulgandae religionis obstacula, quibus coelesti auxilio superatis facultatem praedicandi evangelii tandem obtinuit, nec multo post Hamburgum reversus est, relicto apud barbaros Crimberto, qui in iis ad doctrinam christianam convertendis suas et b. Gosberti vices ageret. Intra breve spatium amplissimas ad christiana sacra paganorum accessus fecit; praesertim ex eo tempore, quo Suecorum gens invocato Christi auxilio prodigiosam contra Curlandos victoriam retulit. Cum vero circa finem anni DCCCLVI. Gosbertus alium presbyterum Anfridum, natione Danum, auxilii causa ad Suecos misisset, Crimbertus presbyter in Germaniam se recepit, haud alia, ut opinor, causa, quam ut vires ab onerariis fractas reficeret, Gosbertus autem circa annum DCCCLIX. vitam beatam in terris actam beatiore morte coronavit die, ut Osnabrugenses memorant, II. Februarii.

Non male Gosbertum dixerunt martyra quidam:
Martyrio certe proximus ille fuit.
Nam licet incultos inter dirosque Sueones
Non fuerit moesto visus ab ense mori;
Dura tamen quaevis atque aspera plurima passus
Martyribus multis non erat ipse minor.
O! quoties secum, testor te Suecia, dixit:
Cur mihi non veniunt verbera, flamma, rotae?

Digitized by Google

Barbara crux multos, et barbarus abstulit ensis:
Cur mihi pro Christo non licet ista pati?
Pro te Christe mori, mihi plus, quam vivere dulce:
Tu Christe, ut tu vis, me rege, non ut ego.
Vis me, Christe, mori? moriar: vis vivere? vivam:
Pendet ab arbitrio vitaque morsque tuo.

Digitized by Google

XX.

S. Helmwardus,

decimus episcopus Mindensis.

Refertur cum titulo sancti ab Arnoldo Wione ad diem XVI. Decembris, a Ferrario ad diem XIV. Februarii, a Bucelino in menologio Benedictino ad diem XVI. Decembris, ubi ita scribit: ***Eodem die natalis s. Helmwardi, episcopi Mindensis, magnae sanctitatis viri.*** Similia de eo memorant varia martyrologia monastica, uti refert Godefridus Henschenius in actis sanctorum ad diem XIV. Februarii, ubi inter eos, qui praetermissi et in alios dies reiecti sunt, mentionem illius facit.

Postquam Evergis, antistes ecclesiae Mindensis nonus, die XVIII. anno DCCCCL. ex hac vita decessit, ad eiusdem ecclesiae gubernacula subvectus est s. Helmwardus, de cuius patria ac vita parum constat. In eo vero veteres scriptores consentiunt, quod eum magnae sanctitatis virum fuisse perhibent. Inter praecipua eius opera, quae ad memoriam posteritatis pervenere, memoranda est dedicatio basilicae cathedralis, quam anno DCCCCLII., assistentibus Dodone, episcopo Paderbornensi, et Drogone, episcopo Osnabrugensi, magno populi concursu atque laetitia consecravit in honorem sanctorum Gorgonii Laurentii et Alexandri martyrum. Eum obiisse anno DCCCCLVIII. die XIV. Februarii, docet Lerbeckii chronicon Mindense. Cetera, quae ad vitam huius sancti exornandam pertinent, praeteritorum temporum annales non commemorant, contenti, veterum episcoporum sola nomina ad

Digitized by Google

posteros transmisisse. Laudem eius compendio exhibent antiqui de illo versus apud Crantzium: [1])

„Hic sublimatus in ordine pontificatus,
Moribus ornatus, doctus, vitaque beatus."

Item hi apud Meibomium in chronico Mindensi:

„Pro grege multoties animam sanctissimus ille
Exposuit pastor, nulla pericla timens."

---

[1]) Crantzius, Metropolis. III. c. 32.

Digitized by Google

XXI.

B. Suitgerus sive Swederus,

undecimus Monasteriensis episcopus.

Refertur cum titulo beati in eius vita anno MDCLII. edita ab Alberto Boichorstio, cathedralis capituli Monasteriensis syndico; cum titulo sancti in catalogis episcoporum Monasteriensium apud Aubertum Miraeum, Petrum Cratepolium et Laurentium Beyerlinckium, quibus accedit illustre testimonium ex antiquis versibus monasterii in vetere aede s. Pauli, eius imagini subscriptis, quos infra producemus. Chronicon Monasteriense haec habet: *Swederus. Hic sanctus habetur, sed non est translatus.* (Apud Fickerum l. c. I. p. 13.), et Crantzius: *Mimigardevordensi ecclesiae*, inquit, *tum praeerat vir deo et hominibus acceptus Suederus, qui pro sanctitate vitae omnium opinione dignus est habitus, qui in Sanctorum numerum referretur.* Agunt de eodem auctor vitae b. Meinwerci, c. XXIV. Ditmarus Merseburgensis, l. VIII. ap. Pertzium T. V. Ad episcopatum evocatus est e gremio canonicorum in aede vetere s. Pauli, qui id temporis nomine iam exoleto dicebantur *fratres*, uti ostendunt haec verba chronici: *Düsse wass eerst een broder in der olden kercken.* Hoc tamen nomen posterioribus annis resuscitasse visi sunt *canonici fratrenses*, vulgo *die Fraterherren.*

B. Swederus, quem alii Suitgerum vocant, originem suam traxit ex Saxonum antiquorum sanguine, quorum per ea tempora tam eximius christianae pietatis fervor erat, ut honori sibi verterent, filios suos ab ipsis paene incunabilis deo transcribere. Fundamenta doctrinae didicit Halberstadii et Magdeburgi, ubi pro istius aevi consuetudine a primordio iuventutis enutritus est in scholis ecclesiarum cathedralium, penes

Digitized by Google

quas ex maiorum nostrorum instituto erudiendae iuventutis cura et officium erat. Inde nescio qua de causa Monasterium transgressus, primum aggregari coepit collegio fratrum sive canonicorum in aede vetere; anno vero DCCCCXCIII. ab Ottone III. imperatore ad totius ecclesiae Monasteriensis gubernacula pro virtutum suarum merito provectus est. Erat vir antiquae simplicitatis, sincerae fidei, innocentiae summae, exempli probatissimi, et denique omni ex parte talis, qualem describit apostolus: *In omnibus*, inquit, *te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* (Timoth. c. 3).

Neque tamen in isto sanctitatis cursu viro tam probo defuit multa patiendi materies: praeterquam enim, quod plerumque afflicta uteretur valetudine, statim ab initio sui regiminis apud Ottonem III. postulatus est gravissimorum criminum, a quibus comperta illius virtus procul aberat. Auctores turbarum erant suaemet ecclesiae capitulares canonici, quorum calumniae, ut fidem imperatoris facilius invenirent, praecipua accusationum capita ad imperatricem miserant. Illa rem veram, prout ab adversariis fraudulenter contexta erat, non minus vafre transfudit in aurem coniugis, tantumque apud ipsum valuit mulieris praepotentis oratio, ut continuo in iras concitatus Suitgero diem diceret, iuberetque intra breve tempus comparere coram se, et criminum obiectorum sordes a se repellere. Paruit extemplo beatus praesul: cumque in itinere haud procul a Vangionum campis subiissent oculum duo turtures, eosdem compellans obtestansque dei nomine, iussit secum iter prosequi, nec alio volatum flectere, quam quo ipse vellet. Visu res mira! stabant inopinis vocibus detentae in coelo volucres, supraque Suederi verticem praestolantes tardo alarum remigio euntem deducebant, donec ad imperatorem, tunc iuxta Wormatiam urbem commoranti, pervenisset. Audiebatur tunc primum totius accusationis tenor, assistebant aemuli, favebat imperatrix. Postquam ferventioribus animis utrimque res agi coepta est, Suitgerus oculis in coelum versis turtures illos iubet ocius venire ad se, totaque inspectante corona et eos manu prehendens et imperatrici offerens, *Ecce,*

Digitized by Google

inquit, *sicut hae aviculae sunt absque felle, sic ego sum innocens de omnibus criminibus, mihi per vos obiectis.* Et accusatores confusi recesserunt.

Non minus prodigiosum id, quod eius ministro a cubiculis contigisse tradit Thietmarus Merseburgensis. Is enim „cum pileum quendam furtive subtractum celare voluisset, diligenterque a pio seniore rogatus nil profiteretur, cultellum supra mensa positum et ex animo benedictum sumere coactus, quasi ignitum celeriter proiecit, reumque se nimis esse coram profitetur. Alio tempore quidam maligno arreptus spiritu, vi magna captus est, et in praesentia praedicti patris adductus; quem solvi protinus iubens, baculoque solum se acriter inrumpentem viriliter amovens, facto sanctae crucis signo, divina potestate securum exire fecit. Talis vir haec non sibi, sed illi, qui per eum tanta est operatus, adscribens, vixit in Christo dies huic vitae concessos, ministrans illo fidelis servus omni studio." Cetera, quae ad vitam et miracula b. Suederi attinent, maiorum nostrorum incuria veteribus tabulis consignata non sunt. Ceterum traditum est, eum interfuisse synodo Mosomensi [1]), habitae anno DCCCCXCV. et Trutmanniensi habitae anno MV. [2]) Obiit autem die XIX. Novembris anno MXI. [3]), sepultusque in aede vetere s. Pauli, ubi olim in australi latere depicta cernebatur eius imago, par turturum humero sinistro gestans, cum hac subscriptione:

Suederus e collegio canonicorum seu fratrum veteris ecclesiae ad clavum episcopatus Monasteriensis propter singularem sanctitatem, qua superavit universos, est electus. Accusatum falso apud Caesarem par turturum docuerunt innocentem. Sepultus XI. hic episcopus Monasteriensis in vetere aede s. Pauli, ubi hic ipsius imagini subscripti in pariete legebantur versus:

Omni pollebat virtute bonisque virebat,
Sanctus Suederus, in mundo providus herus,
Praemia virtutis tenet hic modo regna salutis.

[1]) Acta conc. Mosom. ap. Pertzium Script. III. p. 690.
[2]) Thietmarus Merseburg. ap. Pertzium, V. p. 810.
[3]) Ibidem, p. 869. Annal. Quedlinburg. ap. Pertzium, V. p. 80.

Digitized by Google

XXII.

S. Heimeradus,

presbyter.

Refertur cum titulo sancti a Papebrochio ad diem XXVIII. Junii, ab Egberto Hirschfeldensi monacho in eius vita, Adolpho Overhamio in scholiis ad eius vitam, a Schatenio in annalibus Paderb. ad annum MXIX., a Lamberto Schaffnaburgensi ad annum MLXXII., et ab Johanne Trithemio in chronico Hirsaugensi ad annum MLXXIII., ubi eius cultum describit hisce verbis: *Clara et celebris valde his temporibus per Germaniam erat memoria s. Heimeradi in Hasungen, et magno populorum concursu quotidie frequentebatur. Fuit autem Heimeradus presbyter sanctissimae vitae, qui obiit anno domini MXIX. quarto Calendas Julii, super cuius tumulum Sifridus, archiepiscopus Moguntinus, monasterium nostri ordinis construxit, cuius patronus est s. Heimeradus, qui multis ibidem miraculis coruscavit.*

Monachum fuisse eum, negat Egbertus Hirschfeldensis in eius vita, quae est apud Papebrochium ad diem XXIII. Junii et una cum vita s. Meinwerci edita anno MDCLXXXI. ab A. Overhamio. Eum e vita decessisse die XXVIII. Julii, anno MXIX. testatur praeter annales Corbeienses, epitaphium ipsum, quod olim huic sancto positum est in monte Hasungensi, in quo legebantur hi versus:

Anno milleno Christo decimoque noveno
Morte fuit victus Heimeradus benedictus
Luce Calendarum quarta mensis Juliarum:
Qui prece multa pia quaerunt solatia dia
Eius per merita cupiunt revelamina cita.

Quo autem anno, quibusve parentibus natus sit, quid in patria locisque vicinis gesserit, priusquam in terras peregrinas fugeret, iam factus presbyter, nemo veterum scriptorum tradidit. Egbertus enim incipit ab eo tempore eius vitae descriptionem, quo Arnoldus abbas Hirschfeldensis monachalem habitum iniicere ipsi voluit; recusantemque

Digitized by Google

ac paulo post dimitti postulantem non modo eiecit cum ingenti stomacho; sed etiam carnificis manu severissimis virgis castigari iussit, propter innocentia quaedam verba, quae protulerat.

B. Heimeradus, Messankirchae, in Suevia genitus, natales quidem subobscuros, virtutes vero valde illustres habuit. Initio sacerdotii sui in obsequio matronae cuiusdam nobilis erat: sed cum ea illius ministerio non admodum indigeret, quippe quae et alium praeterea sacerdotem domi suae aleret, impetrata recedendi licentia, patriis e terris egredi, atque sub alio sole fortunam suam experiri maluit. Prima abeuntis peregrinatio fuit ad limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quae in urbe Roma constanti populorum confluxu frequentari solent. Inde in patriam reversus est. Paulo autem post in Palaestinam profectus est ad loca sanctissimis Christi vestigiis insignia, ubi salvatorem nostrum, singulari cordis affectu nascentem visitavit in praesepio, morientem complexus est in cruce, resurgentem indeque ad coelos ascendentem adoravit in monte olivarum, in loco, ubi steterunt pedes eius. Quantum vero virtutis hauserit ex hoc itinere, quomodo crucem domini et eius improperium cordi suo impresserit; multiplici deinceps argumento compertum est ex illa admirabili patientia, qua postmodum iniurias et contumelias omnes, verbera quoque et flagellationes acerbissimas non solum libenter ferebat, sed etiam desiderabat.

Neque defuit occasio multiplex huic desiderio: tota enim eius vita, quam ex illa peregrinatione redux variis locis egit, vix unquam absque iniuriis fuit, et fere perpetua crux atque martyrium. In coenobio enim Mimlebiensi, ad Unstruthum fluvium in Thuringia sito, reperiebat illum Arnoldus, Hirschfeldensis abbas, patriamque et adventus causam ab eo sciscitatus, invitabat eum ad monasterium suum Hirschfeldense, ut ibidem vitae monasticae rationem disceret. Consensit Heimeradus invitationi tam benevolae: et quamquam, uti volebat abbas, ad monachalem habitum assumendum induci non poterat, communem tamen vitam cum eius loci religiosis inchoare coepit et ad tempus agere. Sed cum ista vivendi methodus non videretur vocationi suae consentanea; die quodam in

Digitized by Google

capitulari consessu, provolutis humi genibus, abeundi licentiam petiit, dicens, se ibidem saluti animae suae pro desiderio votoque suo consulere non satis posse. Igitur iratus abbas eum cum indignatione elecit extra septa monasterii. Tulit hanc iniuriam Heimeradus cum insigni modestia ac moderatione animi: ingressusque hospitium portae vicinum, nihil aliud quaerelarum ad circumstantes protulit, quam quod dixit, nobilitatem sui generis abbati fuisse incognitam: fratrem se magni imperatoris ac regis esse; nec satis honorifice tractatum pro splendore suorum natalium. Significaverat autem vir beatus, filium se adoptivum dei et fratrem esse Christi domini, regis regum et domini dominantium, iuxta illud Christi verbum: *Unus est enim pater vester, qui in coelis est.* (Math. XXIII. 9). Ea vox ut primum attigit rimosas quorundam aures, continuo perlapsa est ad abbatem, et adhuc aestuantibus irarum flammis oleum tam triste addidit, ut servum dei ad se revocatum traderet carnifici et exactori publico, iubereteque ad palum alligari et eius tergum atrocissimis virgis ita conscribi, ut paene excoriato similis esse videretur. Neque tamen inter illos flagellorum imbres consectam sibi patientiam excidere passus est: vix enim ab eius ore verbum aliud inter verbera prodiisse dicitur, quam Davidicum illud carmen: *Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Cum solutus a palo paululum consideret in vicino tugurio pauperis cuiusdam feminae, eandem suis suppliciis illacrimantem conspicatus: *Cessa,* inquit, *mulier, meam vicem dolere, magisque super tuis peccatis compungere; haec enim tibi poterunt pluris esse.*

Non impune tamen hoc peccatum Arnoldo abbati stetit; sero quidem, sed serio nocentem consecutus est ultor a tergo deus. Nam anno post excessum Heimeradi circiter duodecimo, qui fuit Christi MXXXI., religiosis omnibus nescio qua causa, in ipsum insurgentibus, Conradi II. imperatoris auctoritate et officio suo turpissime deiectus est coactusque in monasterio [1])

[1]) Situm id fuisse in Thuringia, scribit Lambertus Schaffnaburgensis ad annum MXXXII.

Digitized by Google

Gellingensi vitam privatam agere, quam brevi post moerore animi confectus ibidem clausit anno MXXXII. Interim Heimeradus variis iniuriis per plures annos ita iactatus est, ut rarissime e continuo patiendi exercitio immunis esset. Post virgicidium Hirschfeldense primo recepit sese ad pagum Kirchbergensem, haud procul a Frideslaria Hassorum urbe situm, et Westfaliae nostrae magis vicinum. Sed et ibi non diu licuit vitam inoffensam et ab opprobriis intactam agere. Cum enim non multo post de effracto expilatoque loci illius templo in quaestionem vocatus esset, et exemplo patientis Christi ad omnes accusantium cavillationes ita conticesceret, ut neque fateretur se reum esse, neque suspicionem obiecti criminis a se reiicere studeret, sine verbere quidem, sed non sine ignominia ab eiusdem pagi incolis expulsus est.

Fugientem atque in vicinis Westfaliae campis oberrantem excepit Detmoldia, tunc quidem villa sive vicus, nunc autem principum Lippiensium sedes. Erant ibidem ecclesiae duae, una vetus et neglecta, altera vero parochialis et ab incolis accolisque frequentata, ad quam residebat loci parochus una cum vicario quodam, homine, ut Egbertus memorat, uxurato i. e. concubinario et sacrilegis nuptiis illigato. Priorem ex his duabus ecclesiis initio adventus sui a loci parocho facile impetravit Heimeradus, ut in ea privatae devotioni suae morem gerere, sacris mysteriis operari, et proximorum saluti auxiliatricem operam commodare posset. Verum facilitas ista ac benevolentia non multo post in ingentes inimicitias et odium parochi transiit. Cum enim probatissimam viri sanctitatem luculentis indiciis paulatim comperirent incolae, quotidie magno numero ad ipsum confluxere, comportatis etiam donis et oblationibus plurimis. E quibus tamen vir beatus nihil admodum suos in usus convertebat; sed omnia statim liberaliter pauperibus distribuebat, ipse interim domi suae famem patiens, ac plerumque solo pane et aqua vitam transigens. Ea res summopere mordebat invidiosi parochi animum, et quia honores oblationesque Heimerado praestitos sibi esse ignominiae atque contemptui opinabatur; non solum iniuriis et contumeliis plurimis eundem aggressus est; sed etiam postremo concinatis canibus de loco expulit.

Digitized by Google

Inde vir deo carus, perexiguo viarum intervallo, iter suum flexit ad urbem Paderbornam, quam eodem tempore s. Henricus imperator et eius virginea coniux b. Cunigundis praesentia sua honorabant. At novae hic iterum adversitates et iniuriae, etiam ab ipsomet episcopo s. Meinwerco b. Heimeradum manebant. Is enim cum homo luridus, atque ieiuniis et obsoleto vestium cultu non parum deformatus, in conspectum s. Meinwerci venisset, praecipiti quodam fervore ac impetu in eum coepit invehi, palamque interrogare: *Undenam, obsecro, emersit hic diabolus, seseque attulit in locum hunc?* Respondit modestissime Heimeradus: *Ego daemonium non habeo, sed sacerdos dei altissimi sum, et hodierno etiam die mysteria divina celebravi.* At ille fervori suo intemperantius obsequens: *Cedo igitur*, inquit, *mihi libros tuos, quibus ad sacrificia et cultum divinum uteris!* Cumque eos male comptos et vetustate squalidos esse videret, eo fervoris se adduci passus est, ut non modo libros istos in ignem conjici, sed etiam virum innocentem truculentis verberibus mulctari iuberet. Sed admirabilis patientiae vir omnes corporis plagas omnesque iniurias ita aequo animo tulit, ut ne mutiret quidem, imo gauderet his opprobriis, memor illius Christi verbi: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Noluere tamen superi, ut in posterum virtus illa tam incertis, velut ante sedibus fluctaret. Tandem enim stationem aliquam suo servo attribuit deus, ubi securius vitam ageret, et quod reliquum vitae erat, meliore in pace ac tranquillitate clauderet. Itaque cum ex agro Paderbornensi paululum se retraxisset ad fines Hassiae, coelesti monitione eidem ostendebatur mons Hasungensis, qui a deo electus erat, in quo s. Heimeradus diuturnis calamitatibus et aerumnosae profectioni suae metam supremam poneret. Tum vero Heimeradus magnis exsilire gaudiis, montemque istum haud aliter intueri, quam olim patriarcha Jacob locum illum, in quo scalam de coelo protensam viderat. Mox enim accessit illius loci incolas precibus, ut sibi liceret, in hoc monte stationem figere, et vitam ab eorum persecutione securam degere. Quod cum libenter annuissent, mons ille intra breve tempus adeo celebrari coeptus est ab hospitio et sanctitate Heimeradi, ut quotidie velut ad

Digitized by Google

nundinas convenirent plurimi, qui consulerent virum sanctum et aeternae salutis monita ab eo peterent. Nullus erat sexus, nulla maturior aetas, nulla dignitas aut conditio, quae illius favorem non exposcerent.

Inter alios magna in veneratione ac honoribus erat Dodiconi comiti, penes quem Warburgensis territorii potestas erat, priusquam illud in Paderbornensis antistitis iura transiit. Is cum in pervigilio b. Andreae apostoli ad coenam invitasset b. Meinwercum, episcopum Paderbornensem, (oratorium enim Warburgi erat honori eiusdem apostoli consecratum) etiam Heimeradum eidem convivio adhibuerat, eumque considere iusserat exadversum ipi episcopo. Nec enim dubitabat Dodico comes, quin praesentia et societas presbyteri tam eximia sanctitate clari maximopere placitum esset: praesertim cum ipsi ignotae essent iniuriae, quas olim Heimeradus a Meinwerco Paderbornae tulerat. Sed aliter atque ipse speraverat invitatio illa cecidit. Meinwercus enim, veluti si scena haec ad contemptum sui adornata esset, non mediocriter indignari coepit, et in mensa palam apud comitem Dodiconem conquestus est, quod hominem hypocritam ac delirum sibi inter convivas istius mensae apposuisset. Primo quidem comes, ut opportebat, excusare visus est factum innocens, et si quid per ignorantiam peccatum esset, veniam erroris petere: mox etiam Heimeradum commendare a sanctitate vitae sibi cum primis nota, quae non a corporis neglecto habitu, sed a morum et virtutis aspectu aestimanda esset. At episcopus: *Speciem quidem*, inquit, *virtutis praefert; virtutem vero, ut opinor, minime. Quidquid tamen de eo sit, notitiam certe in cantu ecclesiastico experiar die crastino: aut enim in solenni sacrificio cantabit Alleluia; aut si non recte id peregerit, iterum plagis et verberibus dorsum subiiciat.* Deprecabitur id rursum comes, multoque magis Heimeradus; nescio, an ob vocem minus cultam, an vero ob imperitiem numerorum, iuxta quos vel attolli vocem vel deprimi necesse est. Tandem cum ab episcopo nimis obfirmato nihil hac in re impetrari posset, eius voluntati consensit Heimeradus; alteroque die mane, ea quae sibi imperata erant, tam exacte suaviterque cecinit, ut omnes arbitrarentur, non vocem hominis, sed angeli de coelo

Digitized by Google

lapsi a se auditam esse. Tum vero mirari episcopus, Heimeradum finito sacrificio ad se arcessivit, demissis humi genibus precatus est ab eo veniam, atque ex eo tempore tam deditus erat Heimerado, ut, ubi postmodum e vivis abiit, etiam eius mortem plurimis sacrificiis et eleemosynarum largitionibus prosequeretur. [1])

„His aliisque rebus nomen eius longe lateque notum est factum multumque ei fuit venerationis apud Saxonum gentem. Cum aliquando b. Heimeradus iacens in atrio ecclesiae quiesceret, subito qui simul aderant, viderunt formicarum gregem de terra, ut solet, ebullientem et supra eum ascendentem; quas cum abigendo nihil proficerent, sed eo animosius, quasi coniuratae in bellum acies, conserto agmine super eum irruerent; turbati his monstris, suscitato ei rem indicaverunt: at ille inquit, *Nihil periculi est, nolite turbari: sicut enim videtis nunc formicarum gregem, praesagium scilicet futurorum, super me irruere: ita paulo post discessum meum, visuri estis homines de cunctis per circuitum nationibus gregatim montem istum cum votis et oblationibus suis ascendere.*

Erat quoque ibi clericus in iuvenili aetate vernans, sed superbus admodum et arrogans. Hic iam a principio multas viro dei, ob invidiam, faciebat iniurias. Quodam itaque die cum pergeret illi molestus esse, vir dei dixit ad eum: *Propius medullis accipe, quae praedico tibi: dives quidem futurus es, sed postquam omnia congregaveris, veniet satanas et omnia tibi, teque simul auferet.* Nam postquam vir dei rebus humanis excessit, cum iam multa clericus coacervasset, ad ultimum ancillam cuiusdam praepotentis hominis eiusdem loci indigenae corrupit: qui statim domum eius, omnemque suppellectilem invasit, nihilque ex omnibus praeter miseram vitam relinquens, insuper ad Friedeslar apud generalem synodum eum accusavit. Cumque in eo esset, ut episcopus ad degradandum eum baculum levare debuisset, subito prorumpens sanguis de naribus eius cum impetu super episcopum venit: illico eiectus tam diu sanguinem fudit, usquequo aliis, quae introducenda erant, introductis et determinatis, eo obli-

[1]) Quae hinc sequuntur, sunt verba Egberti.

Digitized by Google

vioni tradito, synodus illa solveretur. Quis ambigat, eum in tantae necessitatis articulo beati viri miseratione liberatum? qui profecto cum vidisset prophetiam suam in rebus suis esse impletam, ne amisso pariter sacerdotali gradu funditus omni spe nudaretur, subveniendum ei censuit exemplo domini sui, qui, cum iratus fuerit, misericordiae recordabitur.

Quidam ex habitatoribus eiusdem loci, cum iam senex esset, et plenus dierum rarum admodum, sed iucundum prodidit miraculum, sibi ad beneficium, deo ad laudem et gloriam, ab eodem servo dei gestum. Nam cum homo idem esset iunior tempore, et erga virum dei miro flagraret amore, eiusque sedulo fungeretur obsequio: quodam die duxit eum ad proprium hospitium, et ostendit ei suum gallum extinctum, quem quidam malae mentis adolescens misso lapillo occidit deambulantem in atrio. Cumque nimium querulosis vocibus suum casum exponeret, quod scilicet iam non esset, qui sibi gallicinia caneret; qui se profestis diebus ad suum officium, matutinalibus horis ad divinum officium excitaret; quod non esset, quo domum in parte iuvaret, pullos educeret, sobolis foeturam suppleret. Tandem motus his querelis dei servus, elevata dextera signum crucis contra iacens cadaver edidit, statimque gallus, quasi nihil laesionis pertulisset, sed se somno excitatus esset, nimia velocitate surgens abiit.

Cum quadam die in villa Elheno, quae monti vicina est, divinis mysteriis insisteret, et his quae praecedere solent finitis, evangelium legi rationis ordo depoposceret: dum tenacius inhaereret deo, subito raptus in extasi, unus quoque spiritus, ut ita dixerim, effectus est cum ipso. Diu vero populo ex spectante, ut is qui mente excesserat, iuxta Apostolum, Deo, sobrius fieret illis. Cum vero iam inclinata esset ad vesperam dies, ad se reversus, quod reliquum fuerat missae percelebravit; sicque simul cum ipsis ad hospitium illorum intravit. Cui cum ex more mensam apposuissent, ac si dominum non in suis membris, sed in seipso excepissent, altera Martha circa frequens ministerium satagaret, coeperunt ab eo humiliter exposcere rationem, cur in medio missae tam diu fuisset moratus? Tunc ille, ut nihil erat quod illorum caritas ei non extorqueret, *Haud,* inquit, *tunc temporis aderam: videbar qui-*

Digitized by Google

dem vobis praesens corpore, sed spiritus dei legatione functus eram. O admirabilis sanctitatis virum! licet adhuc corporaliter cum hominibus conversantem iam tamen inter illos coelestes spiritus superne deputatum; quos cum domino libuerit, psalmista testante, angelos facit.

Cum autem instaret tempus resolutionis eius, per aliquot dies in stupore mentis videbatur, adeo ut a supradictis flagrantis erga se studii hominibus sollicite custodiretur: triticum enim in horrea domini aggregandum non poterat absque tribulis et ventilabro separari a poleis. Iam vero in ultimo positus spiritu, cum devotas ut solent, mulieres circa se congregatas, totas (ut aiunt) effluere videret in lacrymas: interrogavit, quaenam causa esset tanti ploratus? quae cum respondissent, pro eius morte se dolere: *Imo,* ait, *gaudete, quia patronum me habere meruistis, et iuge gaudium, quasi ad perennes nundinas ac festivitates, si modo in monte hoc celebraturi estis. Praeterea non post longum tempus videbitis monasterium hoc loco constructum, et coadunatam in sancto proposito non parvam fratrum catervam, ad divinum servitium solemniter explendum.* Igitur quarto Calend. Julii rebus humanis exemptus, indutus est coelestibus, ut luce clarius constat ex signis et virtutibus, quas per eum solet operari dominus.

Quidam enim de gente Hassonum, Benno nomine, praetergrediebatur locum, in quo sancti confessoris Christi Heimeradi requiescit corpus, undecima post obitum eius die. Hic, quoniam scutum fidei abiecerat, sagitta diaboli cor eius penetrante, sancto illi detrahere, et vitam eius coepit derisui habere: qui statim invasus a diabolo, totus in praedam cessit, utpote abiectis militiae suae armis spiritualibus, quibus ei resistere debuit. Quem illico sui ad sepulcrum viri dei adducentes, ac pro eo ieiuniis et orationibus die noctuque insistentes; et corporis ei sanitatem, hoste depulso, et pristinam mentis obtinuerunt libertatem. Sed quasi unus non satis dedisset exempli, quantum peccet in deum et in animam suam criminator sanctorum dei; alius quidam occurrens duabus mulieribus, sacros cineres trigesimo die cum oblationibus suis invisere, vel currentibus, vel volentibus: causasque itineris cog-

Digitized by Google

noscens, cum imitari studium earum deberet, hoc miser non fecit, sed immittente Satana, turpibus dictis et factis ipse etiam hominem dei iniuriavit: quapropter perpetua ariditate statim mulctatus in crure coram omnibus, claudicando satis vel ipse de huiusmodi sceleris enormitate indicii dedisset, nisi quoddam genus hominum indurata cervice et indomabili corde esset.

Igitur quasi nihil actum sit, una infelix mulier, Betzcha nomine, iterum studium et devotionem quorundam circa sanctum sepulcrum deridere coepit; sed sicut temeritas culpam, ita et culpae auxit vindictam: ut videlicet in eam illata correptio omnem deinceps adimeret iniuriandi sanctum dei praesumptionem. Nam tam diu inimicus sua in eam usus est potestate, quousque omnibus longe lateque innotesceret, quod propter illatam Christi sacerdoti iniuriam huic saevae subiaceret sententiae.

Si quidem duo paralytici, vir unus scilicet et mulier, diverso tempore sepulcrum viro dei cum mercibus fidei adierunt, et suffragantibus meritis sancti, commutationis suae pretium, plenam scilicet sospitatem reportaverunt. Viro nomen erat Poppo, Machtilt fuit nuncupata mulier, eiusdem loci oriundo originem trahens de Fresonum provincia.

Pari modo duae aliae mulieres provinciales de Saxonia diversis incommodis detentae (nam una oculorum, altera linguae carebat officio) diverso tempore licet pari devotione sanctum locum adierunt, et ope beati viri, quod eis de humana natura defuit, fidei commercio reparare meruerunt. Prior erat de Geitzlacher villa, quae sic appellatur; altera vero de Leimbach. Item claudus quidam adolescens, ex servitiis Bertae comitissae, ad praedictum portum salutis scammellis est deportatus: adeo enim totus dimidius naturae vitio sibimet erat inutilis; sed meritis viri dei adiutus, mutato officiali, relictis ibidem scammellis, propriis pedibus suis est reversus. Successu temporis in anniversario s. Heimeradi, quod est in vigilia ss. apostolorum Petri et Pauli, innumerabilis multitudo ibidem confluxerat iuxta prophetiam viri dei, quae totum montem occupaverat. Plenum tunc erat de languentibus templum omni genere morborum, daemoniacorum, leprosorum, caeco-

Digitized by Google

rum, claudorum, aridorum. Appropinquante autem divinae visitationis hora, erat videre miseriam, quomodo, (ut solent dolore correpti) per atrium ecclesiae volutarentur, se invicem complexi: cum quisque collum alterius, quasi gulam ei fracturus, brachiis constrinxisset, et terram manibus foderet, dentibus roderet: tamen qui fortiores erant in populo, densato agmine columnis se circumposuerunt, ne quis ad patientes accederet de vulgo. Eo die triginta duo sanitate donati sunt, clero spectante et populo. Est vulgi pia et non contemnenda, imo fidelis opinio, quod ss. apostoli Petrus et Paulus in virtutibus cooperatores existunt b. Heimerado: sive quod in eorum vigilia maxime se prodit in his operibus divina virtus; sive quod eorum honori et patrociniis est attitulata et consecrata eius loci ecclesia. Cum taliter soleat dominus suos beare amicos, facilis coniectura est, quantam illis gloriam contulerit iam in coelis secum regnantibus: unde oportet ut tanto impensius, studium circa illorum obsequia exhibeamus, quanto constat iram dei adversum nos excitari, si negligamus; maxime ubi eos corporaliter requiescere voluit dominus beneficii gratia civibus, interim moram dum facit sponsus. Nec est ambigendum, quin tanto vicinius, tanto familiarius quisque illorum, et in praesenti beneficio, et in ultimo futuro perfruatur consortio: tanto facilius et celerius si fides non titubaverit divinam impetret misericordiam urgente necessitatis articulo, quanto illis plus reverentiae, quanto plus studuerit exhibere honoris, quanto maiorem operam in illorum expenderit famulatu. Finem scribendi facere me compellit styli et linguae tardioris imperitia, non miraculorum penuria; quae paene quotidie profluunt, ex eadem virtutum divite vena, ad laudem et gloriam domini nostri Iesu Christi, qui cum deo patre et spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum Amen."

Digitized by Google

XXIII.

B. Druthmarus,

abbas Corbeiensis.

Refertur cum titulo beati a Corbeiensibus, apud quos illius statua inter alias divorum statuas in choro templi collocata est cum hac inscriptione: *B. Druthmarus abbas Corbeiensis.* Reliquiae eius, quia variis post mortem miraculis claruerunt, una cum reliquiis b. Ludolphi abbatis primum elevatae sunt anno MC. a Marquardo abbate, repositaeque in tumbis ligneis ac deauratis ante altare sanctae crucis: postea vero anno MDCLXII. a Christophoro Bernardo, episcopo Monasteriensi et administratore Corbeiensi, etiamtum integra membrorum compage iterum inventae translataeque sunt in sacellum aut cryptam templo coniunctam, ubi eas religiose asservari, et a se anno MDCLXXXVI. ibidem cultas esse fatetur P. Ioannes Kloppenburg I. in epistola ad Papebrochium scripta, et ab hoc relata die II. Iunii ad vitam s. Stephani, martyris et episcopi Helsingensis. Utriusque translationis accurate mentionem fecit Adolphus Overhamius in notis ad vitam Meinwerci p. 366. Vetustiores testes sunt antiqui versus hi:

Istic translatos patres gaudete beatos
Istius ecclesiae, quam congrue rexit uterque
Druthmarus dextra (lector non negligat ista)
Abbas praeclarus iacet hac in parte Ludolphus.

Itaque dubia esse non potest eius sanctitas et cultus, quem a sexcentis et amplius annis iam obtinuit propter miraculorum claritatem, quibus a morte fulsisse perhibetur.

Vita b. Druthmari neque ab aequalibus neque post separatim composita est, sed compluria, quae ad eius vitam pertinent, passim inveniuntur apud Thietmarum Merseburgensem, in vita s. Meinwerci, apud Annalistam Saxonem, in Annalibus Quedlinburgensibus et

Digitized by Google

Corbeiensibus, ex quibus omnibus b. Druthmari vitam conscribere onabimur.

Nullum Saxoniae monasterium ab antiquis temporibus adeo florens et illustre fuit, quam Corbeiense ad Visurgim situm. Ex hoc enim velut ex equo Troiano prodiere non modo variarum ecclesiarum complures episcopi, sed etiam praestantissimi doctores et apostoli, qui Daniae, Sueciae, Norwegiae, Rugiae, aliis borealibus terris christianae veritatis lumen intulerunt. Conspiciebantur in eo praeter assiduas omnium literarum exercitationes exquisitae sanctitatis studium et regularis disciplinae praeclarus vigor, cuius aspectu iucundissimo imperatorum animi ita semper in Corbeiam inclinati se persenserunt, ut in eam suae liberalitatis thesauros certatim exfuderint. Neque enim arbitrabantur, meliore loco beneficia sua collocari posse, quam ubi inviolatae religionis auspicio tam praeclara bonorum spiritualium seges in altum surgeret.

Verum quid adeo in bono stabile, quod nunquam obnoxium sit mutationi aut vicissitudini? Uti nulla in orbe res ita semper in eodem flore immota perstitit, quin subinde industrii reformatoris manum posceret; sic etiam primaevus vigor Corbeiensis monasterii subinde, sive lapsu ac vetustate temporum, sive quorundam superiorum indulgentia, aliquantum flaccescere coepit, vitiumque passus est, cui opitulatricem dexteram admoveri necesse erat. Quae cum ita essent, s. Meinwercus, episcopus Paderbornensis, quia monasterium Corbeiense dioecesanae iurisdictioni suae subiectum esse iam pridem contendebat, anno MXV. sese eodem contulit pro pastorali, ut aiebat, officio suo eiusdem loci visitationem inducturus. At ille ibidem non modo non admissus, sed etiam „cum grandi sua suorumque iniuria expulsus est.“ Interim haec ignominia praviter exacerbavit Meinwerci animum: et quia imperator eo tempore pentecosten celebraturus erat Immedeshusii in Hassia inferiore; ibidem gravissimis expostulationibus ignominiam sibi a Corbeiensibus irrogatam Henrico II. imperatori conquestus est. Facile fidem et aurem huius invenerunt istae querimoniae. Itaque paulo post Henricus II. cum

Digitized by Google

consilio Meinwerci episcopi rem aggreditur, et imperiali auctoritate sua non modo Walonem abbatem loco movet, sed etiam virum alium e Laurisheimensi monasterio arcessitum, cui Druthmaro nomen et sanctior ad regendum monasterium virtus erat, eidem monasterio abbatem praeficit.

Ferebant id aegerrime solutiores aliqui, e quibus sedecim, cum insolentius advenienti se opponerent, ecclesiastico more in custodiam tracti sunt; complures alii deserto monasterio sedes alias in aliis terris quaesivere. Quamquam et hi fere omnes, de admirabili b. Druthmari sanctitate eiusque praeclaro regimine certiores facti, postliminio Corbeiam redierunt vitamque postea sub eodem capite sanctiorem egerent. Ex eo tempore monasterium hoc laetiorem faciem induisse visum est; quaeque ab antiquis temporibus ibidem fulserat religiosae perfectionis existimatio, b. Druthmari opera coepit ita revirescere, ut annis exinde plurimis totius Westfaliae decus et commune sanctitatis seminarium fuerit. Certe Wigbertus, Saxoniae Marchio, cum in dioecesi Merseburgensi monasterium Pegaviense conderet anno MC., primos e Corbeia religiosos petiit, non alia ex causa, quam quod eo tempore, ut Chronicon Pegaviense refert, „disciplina regularis prae ceteris Saxoniae coenobiis apud Corbeiam vigeret."

Praefuit b. Druthmarus Corbeiensi monasterio annis triginta et mensibus fere novem. Impetravit a Conrado Salico imperatore confirmationem privilegiorum iuriumque Corbeiensium anno MXXV. Eiusdem auctoritate praedium Godelevesheimense, quod ab aliis inique possideri iam pridem coeperat, felicissime recuperavit anno MXXVIII. Vitam innocentem clausit anno MXLVI. die XV. Februarii, variisque post obitum miraculis Corbeiae clarus fuit. Eius et beati Ludolphi abbatis ossa anno MC. primum elevata, pannis sericis involuta, deauratis e ligno loculis inclusa, et sub ingenti lapide, qui tamen per insertos annulos attolli poterat, ante aram s. crucis collocata sunt a Marquardo abbate, alias episcopo Osnabrugensi, sed a schismaticis per vim extruso. Tandem vero anno MDCLXII., cum novum Corbeiae templum disiecto vetere construendum esset, a Christophero Bernardo de Galen, episcopo Monaste-

Digitized by Google

riensi et administratore Corbeiensi, iterum humo levata atque in sacellum cryptamve basilicae novae coniunctam translata sunt.

Laurigerum, qui te, Druthmare, negaverit, errat;
Iure tuas ornant laurea serta comas.
Misit Corbeiam te Laurisheimia: fausti,
Ut reor, effectus nomen id omen erat.
In lauro vir or est: per te Corbeia virorem
Cepit, et est subito laurea facta domus.

Digitized by Google

XXIV.

S. Bardo,

abbas Werthinensis, deinde archiepiscopus Moguntinus.

Refertur cum titulo beati a Nicolao Serario, rerum Mogunt. l. V., Daniele Papebrochio ad diem X. Iunii, et Aegidio Gelenio in fastis ad diem XI. Iunii, ubi haec refert: *Hac die censet catalogus Werthinensis monasterii natalem b. Bardonis abbatis, qui ex Weteravia oriundus, gente Oppershovius, uno anno et aliquot mensibus Werthinensem abbatiam rexit.* Cum titulo sancti a Petro Canisio ad diem X. Iunii, a Mariano Scoto ad annum MLI., a Trithemio ad annum MXXXI., a Bucelino in annalibus Germaniae ad eosdem annos. Vitam eius ex manuscripto codice bibliothecae Caesareae Viennensis in lucem protulit Papebrochius l. c. Praeterea praeclarum eius exstat elogium apud Wolfherum in actis s. Godehardi. Eiusdem facit mentionem chronicon Hildesiense ad annum MXXXI. S. Annonis, archiepiscopi Coloniensis, apud Surium ad diem IV. Decembris in eius actis, verba haec sunt: *Bardo sanctissimus, urbis Moguntinae decus, revera sanctitatis suae meritum plurimis indiciis commendans, omni quidem reverentiae iure est colendus.* Denique Hermannus Contractus ad annum MLI. haec refert: *Eadem aestate Bardo venerabilis Moguntinae sedis ex monacho archiepiscopus, omni pietate et sanctitate mirabilis, III. Idus Junii ab hac vita subtractus, multis post obitum claret miraculis.*

Sanctus Bardo, ex perillustri familia de Oppershoven, in Wetteravia natus est, patre Adalberone vel Adalberto, matre Christina, coniugibus piissimis, eaque sanctitate praeditis, ut amborum sepulcra etiam prodigiis gratiisque coelestibus a deo honorata sint. Ab his non solum innocentissime educatus, sed etiam puer ad monasterium Fuldense missus est,

Digitized by Google

qui in eo religiosorum Gymnasio latinas literas, omnemque eruditionem sacram doceretur. Quo in studio cum per annos complures pro ingenii sui dexteritate non paulum profecisset ad ordinem s. Benedicti ut ibidem admitteretur petiit; et habitu monastico indutus, regularis vitae tyrocinium posuit. Ostendebat se statim in hoc adolescente admirabilis consequentia et ad omnia fratrum suorum obsequia promptitudo. Quidquid omnes officiorum pro se obeundum peterent, nunquam recusabat. Quacunque in re vicariam illis operam, sive in templo, sive in triclinio, commodare poterat, semper ad manum erat: aut si forte inevitabilis quaedam necessitas obsequendi facultatem praepediret, vehementer indolebat, occasionem sibi praereptam esse, qua serviret. Neque id solum praestitit eo tempore, quo in primo religiosae iuventutis curriculo desudabat, sed etiam constanter annis omnibus, quos extra altiores dignitatum gradus in communi fratrum suorum contubernio degit, ut vel idcirco magnam omnes existimationem de eo ceperint, palamque contestati sint, eum dignissimum esse, qui suo tempore ad monasterii totius clavum cum suprema potestate sederet.

E voluminibus sanctorum patrum, in quibus legendis consumebat omne tempus a choro et aliis exercitiis liberum, singulari attentione percurrebat curam pastoralem s. Gregorii Magni, in quo libro ecclesiarum rectores edocentur, quomodo subditos suos regere, quibus virtutum ac scientiarum ornamentis accedere debeant ad officium pastorale. Cumque ab aliis interrogatus esset, quare hoc ageret? quasi per iocum respondisse fertur: *Forsan imperator aliquis ita delirare posset, ut episcopum me constitueret: idcirco providendum mihi, ut mature intelligam ea, quae ad huius officii administrationem pertinent.* Risere tunc quidem ceteri ad insolentiam responsi huius: sed eventus brevi docuit, futurae dignitatis augurium id fuisse. Ex eo enim tempore spectatissima quaevis honorum subsellia tamdiu gradatim percurrit, donec archiepiscopalis mitra ulterioris fortunae cursum sisteret.

Primo quidem ex consensu Richardi abbatis communi fratrum suffragio electus est monasterii Fuldensis decanus. Quo officio sicut summa prudentia et caritate, sic etiam singulari

Digitized by Google

modestia ac demissione functus est, memor illius moniti: *Rectorem te posuerunt? noli extolli! esto in illis, quasi unus ex ipsis.* (Eccles. XXXII. 1). Non multo post, cum idem Richardus abbas extra occidentalem urbis plagam construxisset monasterium novum s. Andreae, novis iterum honoribus affectus, primusque nascentis familiae moderator cum titulo praepositi constitutus est. Gerebat tunc imperii Romani sceptra Conradus II., cognomento Salicus, qui haud ita pridem s. Henrico imperatori vita functo suffectus, et Moguntiae ab Aribone archiepiscopo inunctus erat. Is cum, nescio quo ex itinere, Fuldam se convertisset, ibidemque a Richardo abbate ad novi monasterii fabricam inspiciendam deductus esset, venienti obviam venit b. Bardo, cum recenti monachorum suorum caterva: atque ut erat urbanissime educatus, auspicatum ei regimen annosque secundissimos singulari comitate precatus est, adiecta in regale Xenium sella plicatili non parvis sumptibus magnifice praeparata. Placuere tunc statim Caesari gravissimi aspectus et mores viri: cumque ab adstantium uno edoctus esset, hunc esse Bardonem illum, quem illustris fama absenti aulae iam pridem indicaverat, eundem non modo regalibus brachiis dulcissime amplexatus est, sed etiam benevolas ei fecit promissiones.

Neque diu procrastinata est promissa fides. Nam brevi post eum primo coenobii Werthinensis in Westfalia, dein etiam Hirschfeldensis ad Fuldam fluvium abbatem fecit: quamquam in hoc posteriore loco vix consedisse videtur propter brevitatem regiminis non nisi ad menses paucos excurrentis. Utramque hanc praelaturam administravit insigni prudentia ac demissione animi, memor verbi divini: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram deo invenies gratiam.* (Eccl. III. 20). Imo nec in illo fastigio positus immutavit quidquam a prima vivendi ratione, nisi quod ascendit quotidie e virtute in virtutem. Accusationes frivolas et plerumque invidiae plenas habebat odio velut pestem religiosarum domuum: et ideo, si quis fratrum ad ipsum deferret aliquid querelarum de negligentiis culpisque alterius, vultu ad severitatem composito, *Decanum*, inquiebat, *aut priorem habetis in conventu vestro: ille religiosae conversationis inspector et custos est; ego autem*

Digitized by Google

abbas et pater. Quidquid ille mihi celandum duxerit, ad notitiam et aures meas deferri non oportet. Hoc ille religiosae benignitatis genere ita sibi conciliavit suorum subditorum animos, ut eum diligerent velut patrem, nihilque magis in omnium votis esset, quam ut annos plurimos in utriusque monasterii gubernatione tereret.

Sed aliter visum est rerum omnium rectori deo. Anno domini MXXXI. nuntiatum est Conrado imperatori, Aribonem, archiepiscopum Moguntinum, post acceptam licentiam itineris Romam faciendi, quam Paderbornae diebus festis natalitiis Christi anni praecedentis ab imperatore flagitaverat, die VI. Aprilis in itinere ac reditu suo e vivis evocatum esse. Qua de re certior factus, imperator statim convocabat primores totius cleri, quaesitaque eorum sententia percontatus est, quem potissimum adeundae huic dignitati idoneum ducerent? Varii varia opinati sunt, nec defuere, qui contenderent, ex privilegio nescio quo, alternis vicibus abbatem Fuldensem huic ecclesiae praeficiendum esse. Siluit his auditis prudens caesar; suaque nominatione in aliud tempus reiecta coetum illum a se dimisit. Interea Richardus abbas, qui monasterio Fuldensi etiamtum praeerat, archiepiscopatum hunc sibi conferendum esse arbitratus, non sine subditorum lacrimis ad aulam regiam proficiscendi cepit consilium. Cumque nocte ad quietem se composuisset, vidit in somnio montem praecelsae magnitudinis, pedibusque suis inaccessum, in cuius vertice stabat Bardo, pascebatque oves plurimas per montis eiusdem terga longo ordine oberrantes. Ex eo somnio facile colligebat Richardus, alium esse, in cuius verticem archiepiscopalis mitra coelesti arbitrio se demissura esset: et ideo sub auroram sequentis diei ad fratres praesentes conversus, *Nolite,* inquit, *de meo discessu diutius contristari; aliud in fatis nunc esse didici. Bardo, Werthinensis abbas, ad hoc fastigium a deo destinatus est: et ego manebo apud vos. Supremae voluntati libenter cedimus.*

Post breve tempus etiam Bardo abbas profectus est ad aulam Caesaris: cumque in diversorio quodam Richardum offendisset, venientem de via, omni humanitatis genere invicem se complexi, abierunt simul ad sacellum proximum.

Digitized by Google

In huius ingressu uterque deferebat alteri primos honores praecedendi: ille, quia sub Richardi abbatis disciplina vixerat, et ab eo novi monasterii praepositus constitutus erat: hic autem Bardoni, quia ipsum a deo electum et fore ut Moguntinae sedi imponeretur persuasum habebat. Vicit tandem in ea honoris contentione Richardus abbas, peractisque in sacello precibus Bardoni enarravit, quid sibi deus per somnia monstravisset, et quomodo ad ecclesiae Moguntinae gubernacula a deo praesignatus esset. Sequente die inter mutuos amplexus discesserunt et Richardus ad Fuldensem abbatiam sese retulit; Bardo autem continuato itinere suo ad Conradum venit. Mense Junio cum illuxisset dies festus apostolorum Petri et Pauli, famaque iam ubique sparsum esset, Moguntinae sedis archiepiscopum hoc ipso die nominatum iri, primo diluculo rex et regina in templo considerent, et ardenti comprecatione vota ac hostias deo faciunt pro deligendo ad hanc dignitatem viro optimo. Finitis precibus iterum redeunt ad aulam, iterumque de eodem negotio magna fit consultatio. Tandem adulteriore iam die, indicto silentio ad praesentes conversus, imperator: *Verum*, inquit, *propono nobis ingenii praecellentis, egregiae virtutis, illustrissimae sanctitatis virum, quem sapientia genuit, castitas enutrivit, religio ad omnem honestatem et officii pastoralis honorem efformavit, plenum caritate, plenum demissione, plenum benignitate.* Cumque ad eas voces omnium haererent animi, seseque invicem circumspicerent, quis ille vir tam egregie commendatus, Conradus digito signum dans et Bardonem accedere iubens, *Tu*, inquit, *es ille vir, te ego hodie Moguntinae sedis archiepiscopum nomino, et eidem ecclesiae praeesse iubeo in nomine patris et filii et spiritus sancti.* Magno statim applausu excepere omnes haec verba caesaris: eodemque die beatus Bardo a praesentium episcoporum corona in templum deductus, et consuetis ecclesiae ceremoniis episcopali sacerdotio initiatus est.

Peracta solemnitate antistes Moguntiam iter fecit, acceptaque suae dioecesis possessione, coepit illico suarum virtutum documenta spargere, ad plebem perorare, ad poenitentiam exhortari, ad vitam homine christiano dignam exemplo et verbis impellere, consolari moestos, operire nudos, erigere pusill-

Digitized by Google

animes, omnibus omnia fieri, ut omnes salvos faceret. Inde sub eiusdem anni finem rediit ad aulam imperatoris, qui tunc Goslariae natalem Christi diem celebraturus erat. Primo festivitatis diluculo sermonem, ut petebatur, valde brevem de Christo nascente habuit: sed errore nescio quo, tam ieiune et invicete processit haec oratio, ut omnes palam indignati sint, tam illustrem infulam in tam agresti capite resplendescere, auditique idcirco dicentes, monachum fortasse bonum esse, antistitem vero minime. Mirum est, virum hunc, qui postea, quod complures ei aequales testantur, ob eximiam in dicendo suavitatem et efficaciam saeculi sui Chrysostomus, vel etiam Bardo Chrysostomus appellatus est, deo permittente ita semel potuisse labi et enarrare. Ipse imperator, in eo praesule se deceptum opinatus, vehementer doluit, eum nuper tantis a se praeconiis exornatum atque in loco tam praelustri collocatum esse. Reliquum vero vulgus hominum, uti plerumque audacius esse solet, indecoris eum sermonibus tantum non aperte proscindebat, primaque in ipsum tela erant: *Monache! monache!* tametsi dimidiatis dumtaxat verbis id pronuntiare ausi sint, mussitantes intra se *mo-mo*, ut ait scriptor eius vitae. Altero die, qui sancto Stephano protomartyri sacer est, pro concione apud imperatorem dixit Theodoricus, episcopus Mecensis: cuius oratio, quippe quae acceptior esset auditori, novam Bardoni invidiam peperit, oleumque ignibus iam accensis addidit, ita ut omnes dicerent: *Ecce, hic est vere episcopus: et quid ad hunc aliosve similes Bardo iste? ut aqua haeret ipsi, cum os et guttur suum ad perorandum aperit!*

Tulit hanc ignominiam beatus vir, animo, ut oportet, humili ac mansueto: cumque die tertio, qui s. Ioanni evangelistae dedicatus est, iterum rogaretur ab imperatore, quis officio divino functurus, atque in templo dicturus esset, s. Bardo, ut sibi hoc facere liceret, petiit. Obstupuere omnes ad hanc audaciam: ipsi eius etiam amici clam dissuaserunt, ne hoc officii in se susciperet, memores, quo rubore nuper ab eius oratione perfusi essent. At ille nihil territus iterum incepit dicere, sumptoque themate ex verbis, *Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt*, (Psalm. XVII. 13), tanta eruditione et verborum flumine ad praesentes perorare coepit

Digitized by Google

paene ad horam integram aut paullo amplius, ut omnium ora in stuporem verterentur. Conticuere tunc statim omnes, haeseruntque pisce magis muti, qui paullo ante virum hunc suorum conviciorum gladiis verberaverant. Caesar ipse ad mensam accedenti serena voce et vultu hilari, *Eia*, inquit, *hodie mihi natalis domini uberiore laetitia celebrandus est, quia aemulorum tuorum ora lento rubore conspersa video. Ubi iam sunt insolentes illi conviciatores tui? ubi eorum contumeliae et cavillationes, quas in te congesserant? Silent modo, nec verbum aliquod mutire audent adversum te.* Bardo autem, nihil ex his praeconiis insolescens, dulcia et amara, prospera et adversa vultu eodem vidit.

Neque tunc solum hunc aequum animum ostendit; sed etiam constanter postea, postquam ab aula redux ad ecclesiam ac dioecesin Moguntinam se recepit. A praetore enim suae urbis lacessitus, iniurias sibi irrogatas patientius tulisse videtur, quam coelum ipsum, quippe quod infractam hominis pertinaciam non multo post infirmitate perpetua castigaverit. Ab alio petulante homine furtivis risibus subsannatus in convivio archiepiscopali, eo quod mensarum illecebras religiosis sermonibus condire consuevisset, tantum abfuit, ut eius animus in aliquem iracundiae motum idcirco surgeret, ut etiam iuberet, huic nugatori lancem auream, quae Bardoni vicina stabat, mercedis loco pro iniuriis acceptis reddi. Unde etiam non pauci fuerunt, qui viventem nimiae lenitatis arguere ausi sint. Inter alios etiam s. Leo IX. papa quorundam accusatorum sermone deceptus dixisse de illo fertur: *Quis unquam huius viri patientiam adscriberet misericordiae, et non potius socordiae?* Quamquam idem pontifex sententiam suam postea corrigere coactus est, cum audisset eius defuncti tumulum prodigiis plurimis a deo collustratum esse.

Praefuit autem ecclesiae Moguntinae annos prope viginti cum eximia sanctitate ac laude totius populi. Absolvit coeptam a Willegiso ecclesiam maiorem s. Martini, eamque praesente Conrado imperatore et multis episcopis honorificentissime dedicavit pridie s. Martini episcopi anno MXXXVII. Agnetem Augustam, Henrici III. imperatoris coniugem et Guilielmi Pictaviensis filiam, regalibus nuptiis Ingelheimii copulavit, eandemque

Digitized by Google

Germaniae reginam unxit anno MXLIX. Dedicationem basilicae Transaquensis in urbe Monasteriensi, qua nulla per Westfaliam illustrior pompa celebrata est, quippe cui praeter Henricum III., Germaniae regem, interfuere octo episcopi et quatuor archiepiscopi, praesentia et assistentia sua honoravit die XXIX. Decembris anno MXLI. Denique Paderbornae cum aula eiusdem Henrici regis celebravit pentecosten anno MLI. Quo tempore cum primo festivitatis die, celebrato solenni sacro, salutari exhortatione plebem impertisset, edixit publice, diem suae mortis iam vicinum esse: *Iter, inquit, o dilectissimi mei, iam ingressurus sum, ad quod minus sollicite comparavi me, quam postularet adeundi itineris gravitas. Ad castra iam regis aeterni vocor, initurus proelium, a cuius felici aut infelici exitu tota pendet aeternitas: et ideo necessarium mihi arbitror, precum pro me vestrarum suffragia instanter poscere. Si quid boni a me audistis unquam, id observate, ut custodiatis vos dignos regno, ad quod a deo omnes vocati sumus. Ego vicissim commendo vos illi, qui vos mihi commendavit, deo patri omnipotenti et verbo eius Iesu Christo domino et spiritui sancto, cuius honori haec dies agitur. Valete! et ubi mortis meae nuntium acceperitis, ne contristemini.*

Peractis diebus festis cum Henrici III. licentia maturare coepit iter ad metropolim suam Moguntinam: sed in ipsa via in loco, qui vocabatur Dornberg[1]) ea quam Paderbornae iam praedixerat, corporis infirmitate ita subito praeventus est, ut non modo iter inceptum sistere, sed etiam intercisa vivendi spe in viam aeternitatis se comparare coactus sit.

Inde, cum periculum vitae in dies ac horas ingravesceret, repente misit ad suffraganeum suum Abellinum episcopum, qui tunc morabatur Fuldae, petiitque, ut, si vivum adhuc videre cuperet, festinatis itineribus ad se accederet cum Bardone, iuniore Fuldensi monacho, qui beati huius ex fratre nepos erat. Ambos salutavit aeger magno affectu animi; pau-

[1]) Hunc locum esse vicum *Dörenhagen* prope Paderbornam Papebrochius aliique opinati sunt, sed errant; nam vocem *Dornberg* transiisse in *Dörenhagen*, parum veri est simile.

Digitized by Google

loque post cum solo episcopo loqui cupiens, arbitris remotis ita praefatus est: *Prope est iam dies dissolutionis meae, saepe quidem optatus mihi; at semper formidatus simul. Quare id solum abs te peto, ut extremis nunc sacramentis ac praesertim unctione ultima iuxta morem ecclesiae catholicae me impertias.* Cumque ad ea verba suffraganeus altum ingemisceret, *Quid*, inquit, *ita suspiras et affligis cor meum lamentis inutilibus? vade, et fac ea, quae tibi in mandatis dedi.* Paulo ante mortem rogavit eos, qui lecto aderant, ut cilicium aliquod humi sternerent, et sui corporis morituri membra in eo reclinarent. Quod ubi factum est et accedentium aliqui inculcarent, in deo et eius infinita benignitate spem extremam ac firmam poneret, *Ecquid egi,* inquit, *diebus omnibus vitae meae, si hoc non egi? Novit ipse, quantum in eo confisus sim et an unquam alia in re opes mea defixa sit, quam in deo et Iesu meo? Opus ipsius ego sum: ille spes mea et solamen unicum. Quod illi placitum, operetur in servo suo. Deus meus in te confido, non erubescam!* Et iterum post exiguum tempus oculis in coelum versis: *Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum speravimus in te!* Quo dicto sibimet ipsi oculos in mortem clausit, membrisque ceteris in eundem finem rite compositis, placidissimo fato animam exspiravit feria VI., die XI. Junii anno domini MLI., aetatis suae plus quam LXX., archiepiscopatus autem sui vicesimo.

Corpus defuncti eodem die lotum, postea sarcophago ad hoc praeparato inclusum curruique impositum est, ut Moguntiam deveheretur ad ecclesiam cathedralem s. Martini, ubi undecimo post adventum die magnis honoribus conditum est in oratorio, sive in crypta s. Martino sacra, quae tunc in medio ecclesiae fuit, post autem per Ioannem archiepiscopum sublata est, altari s. Martini in eius locum subrogato. Miracula, quae mortem beati praesulis consecuta sunt, iniuriis priorum temporum penitus exciderunt, una cum aliis duobus libris, quos de eius actis et sermonibus se conscripsisse meminit auctor vitae eius, quae est apud Papebrochium. Duo tamen adhuc supersunt, quae ex interitu illo ad nostram memoriam pervenerunt. Primum reperitur in eius vita, ubi scribitur, aquam illam, qua viri beati corpus ablutum est, die

Digitized by Google

mortis eius feria VI., ad radicem arefactae arboris affusum esse, et exinde multis annis quavis feria VI. eodemque momento temporis, quo facta erat haec effusio, copiosissimas aquas ex eodem ligno arido ad plurimorum salutem profluxisse. Alterum scripto nobis traditum est in vita s. Annonis, Coloniensis archiepiscopi, qui obiit anno MLXXV. Venerat is Moguntiam ex praecepto imperatoris, stabatque prope tumulum b. Bardonis in aede cathedrali, ubi cum videret hominem quendam toto corpore contractum adhaerere tumbae huius sancti, aiebat secum: *Homines etiam ignotos et parvae devotionis frequenti auxilio coelitus adiuvisse diceris, b. Bardo: et hominem hunc tuis obsequiis tam devotum, tam assiduis precibus auxilia tua postulantem a tuis beneficiis potes repellere? Oro te, quod in aliorum prodigiosis curationibus hic a te effectum esse fama praedicat, etiam in huius infirmi corpore ut efficias; meisque nunc in oculis declarato efficaciam virtutis tuae, qua vales apud deum.* Petitionem hanc continuo secutus est eventus optatissimus. Nam eodem paene momento sanitatem recepit aeger, et b. Bardonis opem festivis vocibus praedicavit, s. Annone archiepiscopo beneficii impetrati seriem explicante statimque intonante hymnum Ambrosianum. Laudes et praeconia huius sancti claudimus hoc epitaphio, quod ei reverenter scribimus ac dedicamus:

Hic iacet ille, sui Bardo Chrysostomus aevi,
Fama cui fulvo nomen ab aere dedit.
Bardo vocabatur; sed non erat indole bardus:
Praesul erat sapiens; nec probitate minor.
Mortem praedixit, miracula multa patravit:
Hinc potuit merito dicere musa vetus:
Aetherea si quis te non veneratur in aula,
Antistes Bardo, bardus et ater homo est.

Digitized by Google

XXV.

S. Paternus,

monachus Abdinghofensis.

Refertur cum titulo beati a Papebrochio ad diem X. Aprilis, cum titulo sancti a Trithemio, ab Arnoldo Wione, Menardo, Bucelino, Ferrario, aliis compluribus, quibus accedit constans traditio populi Paderbornensis, eum inter urbis suae sanctos recensentis. Scripserunt de eodem Schatenius, Marianus Scotus in chronico, s. Petrus Damianus in apologetico. Apud Marianum Scotum (Pertz. l. c. Script. T. V. p. 558) haec sunt: *Anno MLVIII. Padeborunna civitas cum duobus monasteriis, id est episcopatus et monachorum, feria VI. ante palmas (die X. Aprilis) igne consumitur.* De morte s. Paterni perpauca memoriae tradidit, praeter Marianum Scotum et Petrum Damianum, Bruno Fabricius, abbas Abdinghofensis in chronico manuscripto.

Monasterium Abdinghofense ordinis s. Benedicti in urbe Paderborna a s. Meinwerco fundari coeptum est anno MXV., consummatum vero atque una cum templo dedicatum anno MXXXI., die II. Novembris. Inter primos eiusdem incolas praecipuis laudibus celebratur s. Paternus monachus, natione Scotus, qui amore perpetuae solitudinis ab aliorum religiosorum convictu disiungi petiit in vicinaque cella plurimis annis inclusus vixit. Hic ut erat divino quodam afflatu monitus, non solum renuntiavit episcopo, sed etiam urbe tota divulgavit, Paderbornam, nisi festina sinceraque poenitentia placaret iram numinis, intra triginta dies ferali incendio absumptum iri: tempus esse, ut a suis flagitiis abstinerent incolae, cordi-

Digitized by Google

busque contritis propediem sese ad deum verterent: haud aliam superesse viam, qua suppliciorum iamiam incumbentium magnitudinem suis a cervicibus amovere possent. Ridebant eiusmodi minas insolentes animi, stulte arbitrati, virum solitarium deliriis nonnihil agitatum esse: perdurabat antiqua scelerum consuetudo; nec ulla de corrigendis moribus subibat sincera cogitatio, donec ad extremum illucescebat fatalis ille et praenuntiatis dudum suppliciis a deo destinatus dies, qui erat X. Aprilis, et feria sexta ante dominicam palmarum anni MLVIII. Tum vero funestus ignis e septenis urbis regionibus una prorumpere, domos omnes et aedificia lamentabili incendio pervagari, ipsam denique cathedralem basilicam una cum vicino Abdinghofensi monasterio adoriri: et illam quidem suo tecto denudare, muris ex firma Meinwerci structura paene adhuc integris; hoc vero consumptis trabibus et omni interiore fabrica potissima ex parte in cineres dare, servata solum supellectile, quae iam ante ex consilio b. Paterni in locum tutum exportata erat.

Atque virum quoque sanctum tantis in periculis sua cellula egressurum esse quisque putabat, ut vitam in securo poneret; at ille quantumvis tota fratrum religiosorum turba eum, ut egrederetur, obtestaretur, nullis tamen obsecrationibus induci potuit, ut stationem semel electam derelinqueret, certus aut clausuram deo promissam ibidem retinere ac voto stare, aut propinquis in ignibus mortem beatam praestolari: quam etiam brevi post deo sic permittente consecutus est.

Factum revera insolens, atque eiusmodi, quod in viro conspectae sanctitatis magis admirari lubet, quam perscrutari, aut aliis imitandum proponere. Quin deo tamen id nequaquam displicuerit, nemo dubitabit, qui consideravit, ardente universa cella, ipsoque dei servo inter flammas occumbente incombustam adhuc mansisse mattulam, supra quam iacebat. Vidit hanc ei aequalis scriptor Marianus Scotus, qui sedecim diebus ab hoc incendio Colonia Paderbornam profectus, intra istius cellae deformata rudera, supra eandem mattam sese in genua et preces pervolutum asserit hisce verbis: „Ipsis vero statim diebus feria II. post octavum Paschae exiens de Colonia causa claudendi cum abbate Fuldensi ad Fuldam super mat-

Digitized by Google

tam in clausula ipsius, ubi supra eandem mattam combustus et passus est, ego oravi.“ Et certe tam admirando prodigio ita videtur commotus esse, ut et ipse statim eiusmodi solitariam vitam amplexus sit, ac primo Fuldae per annos decem, postea vero Moguntiae in monasterio s. Martini per annos septendecim reclusus vixerit.

Digitized by Google

XXVI.

B. Theophania,

abbatissa Essendiensis.

Refertur cum titulo beatae ad diem V. Martii a P. Theodoro Rhay, a Gelenio in fastis. Nata est b. Erenfrido, comite Palatino Rheni et Nemoris, matre b. Mathilde, Ottonis III. imperatoris sorore et secunda ex Theophania Augusta filia. Sorores eius sanctitate inclytae fuerunt b. Richeza, Paloniae regina, et b. Ida, Coloniensis abbatissa in capitolio, de qua plura refert Gelenius l. III. de Coloniae magnitudine. Floruit b. Theophania saeculo XI. fuitque illustrissimi collegii Essendiensis XIII. abbatissa, teste Stangefolio in descriptione Circuli Westphalici l. II. 8. p. 154, ubi haec sunt: *Abbatissa XIII. fuit Theophania, Palatini Erenfridi et Mechtildis ducissae filia, quae circa annum MLI. cryptam ecclesiae aedificavit.* Nonnulla de eius vita inveniuntur in vita b. Erenfridi apud Papebrochium, ad quae accedunt tria diplomata (apud Lacombletum l. c. l. p. 109, 114, 122).

Mirabili fortunae ludo ad inexspectatas subitasque nuptias pervenisse fertur b. Erenfridus, comes Palatinus Rheni, et b. Theophaniae, Essendiensis abbatissae, pater. Otto III. imperator, Ottonis II. et Theophaniae imperatricis filius, inter alia admirandae sagacitatis indicia singularem omnino peritiam consecutus erat in adornando latrunculorum lusu, quos pretiosa in tabula collocatos, velut ordine quodam et congressu militari adeo dextere solerterque noverat promovere, ut hac in arte neminem sibi parem esse, ne dicam superiorem, crederet. Itaque die quodam, cum vehementer illum cupido incessisset, isto ludendi genere ingenium exercendi, neque alius aemulator ad manum esset praeter Erenfridum

Digitized by Google

comitem, qui a multo iam tempore suam ac defuncti parentis aulam sectatus erat, iubet illum considere exadversum se, atque in hac arena ludicra secum de palma congredi, ea adiecta conditione, ut si ter continenter ab Erenfrido vinceretur, eidem in praemium cederet, quidquid ipse ab augustissimo collusore suo velut optimum sibique iucundissimum vellet exposcere. Placet Erenfrido conditio posita, aperitur tabula, disponuntur latrunculi, explicatur iocularis acies, procurritur, certatur, caeditur magnis utrimque animis: praevalente tamen semper Erenfrido comite, tribusque continuis victoriis augustissimum aemulatorem suum debellante. *Vicisti Erenfride*, inquit caesar, *sic coelum voluit. Tuus est triumphus: et quodnam erit praemium? De praemio*, respondit Erenfridus, *non est, quod longa mecum versem consilia: mihi enim res una iam pridem deliberata animoque agitata est; sed veritus sum, eam tibi proponere. Sororem habes Mechtildem, in Essendiensi virginum canonicarum collegio educatam ab abbatissa amitaque sibi cognomine. Hanc mihi si ausim petere, nuptiali foedere coniunctam cupio: id unum si concesseris, satis est, nec aliud quidquam ultra postulo.* Mathildem Erenfrido tradere suadebat auctoritas et fides imperatoris; eandem petenti denegare commonebat aliquorum procerum et consanguineorum praevisa indignatio. Ne tamen promissionis suae auctoritas privatae quorundum offensioni succumberet, tandem concessit in postulata comitis, dexteramque ei suam et consensum dedit de sorore propediem advocanda copulandaque.

Quanta laetitia ex eo responso perfusus sit beatus comes, facilius est cogitando capere, quam verbis exsequi. Continuo acceptis a caesarea maiestate literis Essendiam festinus advolat, sponsam advehit, Aquisgranum deducit: nec multo post praesentibus Theophania imperatrice vidua, proceribus atque sacerdotibus plurimis solennibus ceremoniis eidem coniugatur, circa annum Christi DCCCCLXXXVI. Ex eo tempore vixerunt beati coniuges in multa sanctitate, devotione, pace et concordia; fundatoque Bruwilariensi monasterio haud procul Colonia Agrippinensi et aliis operibus sanctis pie ac religiose perpetratis ad perennem in coelo gloriam convolarunt, Mathildis

Digitized by Google

quidem anno Christi MXXV., Erenfridus autem prope octogenarius anno MXXXV., uterque variis post mortem prodigiis clarus.

Filii, qui ex eo tam felici connubio procreverunt, fuere tres, Ludolphus primogenitus, tribus ante patrem annis mortuus est; Otto, Suecorum dux improlis; et Hermannus, archiepiscopus Coloniensis creatus anno MXXXVI.; filiae autem septem, quarum prima b. Richenza, Miceslao, Poloniae regi, nupta, ex b. Casimiro filio plurimorum sanctorum mater fuit; reliquae sex in diversis virginum canonicarum collegiis ad regimen dignitatemque abbatialem pervenerunt, Adelheida, Nivellis in Brabantia, b. Theophania Essendiae in Westfalia, Heylwigis, Novesii ad s. Quirinum, Mathildis in Vilich ad confluentes Rheni et Sigae, Ida, Coloniae ad b. Mariam virginem in capitolio, Sophia, Moguntiae ad s. Mariam et Gandersheimii in ducatu Wolfenbutano. Longum est et alienum a nostro consilio, singularum vitas prosequi: ad rationem nostri instituti satis est, de b. Theophania hoc loco agere deque eius sanctitate pauca disserere.

Nata videtur sub finem saeculi decimi sive circum annum millesimum, educata vero in collegio Essendiensi a Mathilde abbatissa, magna matertera sua et collegii Relinghusani fundatrice, sub cuius sanctissima institutione pietatem suam, quam a maternis visceribus una cum lacte biberat, inter assidua devotionis exercitia ita promovit, ut eadem e vivis abeunte virginali huic collegio velut omnium virtutum exemplar praefici mereretur. Addictissima semper cliens et cultrix erat deiparae virginis Mariae, quam singulari cordis affectu amabat ut matrem, venerabatur ut dominam, suspiciebat ut reginam coeli, imitabatur ut omnium virtutum magistram et exemplar perfectissimum. Nec enim ignorabat, sibi dictum esse, quod de virginibus scribit s. Ambrosius: *Sit vobis*, inquit, *o sanctae virgines, tanquam in imagine descripta virginitas vitaque beatae Mariae, de qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis ostendunt, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis.*

In rebus arduis strenue constanterque peragendis grandes

Digitized by Google

habebat animos et viro pares; neque prius desistebat ab operibus pro deo coeptis, quam ea felici exitu ad finem perduxisset. Aedificium Essendiensis collegii, quod vetustate atque iniuriis tempestatum potissima sui parte iam ruinosum erat, magnificentius et munificentius paene ab ipsis fundamentis rursum e terra sustulit, officinas erexit, cryptam ecclesiae aedificavit. A rege Henrico III. impetravit anno MXLI., *ut infra locum nomine Astnide* (Essen) *ad augmentum et utilitatem eiusdem monasterii annuale mercatum fieri concederet.* [1])

Omnia demum, quae ad curam officii sui pertinere poterant, ita gerebat et perficiebat, ut eius memoria perpetuis temporibus ibidem futura sit in benedictione. Hanc vitam reliquit die V. Martii anno MLIV. sepultaque est Essendiae ante altare s. Jacobi. Testamentum eius ad nostram pervenit aetatem et inter alia haec habet: [2]) *Vigilate quaeso fratres et sorores et me non mortuam quidem sed dormientem oratio vestra consoletur. Cogitate vero quam gratum, quam carum vobis sit, si quis pro vobis oraverit, cum eadem sors nobis evenerit. Orate quaeso ea tandem ratione, ut si quando me dormientem oratio vestra excitaverit, pro vobis orare non desistam, ut orationi communi sacrae scripturae verba impleantur: Orate pro invicem, ut salvemini.*

Breve s. Theophaniae elogium conscripsit Gelenius in fastis ad diem V. Martii hisce verbis: *Essendiae in dioecesi Coloniensi depositio b. Theophaniae, quae Essendiense monasterium restauravit et amplificavit, cuius ob vitae sanctimoniam memoria ibidem in benedictione est.*

---

[1]) Dipl. apud Lacombletum l. c. p. 109.

[2]) Ibidem p. 122. Est apud Erhardum in codice diplomatico, Regestis Westfaliae historiae adiuncto.

Digitized by Google

XXVII.

B. Imadus,

episcopus Paderbornensis.

Refertur cum titulo beati a Nicolao Schatenio et in catalogo episcoporum Paderbornensium, qui praemissus est synodo dioecesanae, ab Hermanno Wernero habitae anno MDCLXXXVIII. Imadum fuisse s. Meinwerci episcopi e sorore nepotem, constat ex vita b. Meinwerci, in qua appellatur *sororius b. Meinwerci.* Ex eadem percipitur, eum in collegio et scholis cathedralis ecclesiae Paderbornensis a puero enutritum esse una cum Annone archiepiscopo Coloniensi et Friderico episcopo Monasteriensi, fundatore ecclesiae collegiatae ad s. Mauritium.

Post excessum b. Rothonis episcopi in sedem episcopalem Paderanam, auctore Henrico III. imperatore, promotus est b. Imadus, vir non pietate solum ac religionis promovendae studio, sed etiam natalium splendore illustrissimus. Erat enim s. Meinwerci, Paderbornensis episcopi, ex sorore nepos. A prima iuventute sua in clero et scholis Paderbornensibus educatus est cum praestantissimis adolescentibus Annone et Friderico, quorum ille postea Coloniensis archiepiscopus et sanctitatis titulo decoratus, hic vero episcopus Monasteriensis et ecclesiae Mauritianae extra muros fundator fuit. Intra curriculum scholaris disciplinae semper habitus est admodum severe ac rigide, eo quod avunculus eius Meinwercus episcopus diceret, adolescentes huiusmodi cum severitate magna ac districtione erudiendos esse; minime vero laetandos indulgentia et blanditiis: quippe quae audaciam inspirarent, et iuveniles

Digitized by Google

ipsorum spiritus iusto ferociores facerent. Unde etiam toto eo tempore, quo studiorum suorum et vitae clericalis fundamenta posuit, vix unquam obtinere ab avunculo suo potuit, ut extra collegii cathedralis claustra sui patris aspectu aut colloquio potiretur.

Ad episcopalem dignitatem provectus est sub finem anni MLI. paulo post die festo nativitatis Christi a Luitpoldo, archiepiscopo Moguntino, Goslariae consecratus, cum ibidem Henricus III. imperator Christi natalem celebraret. Inter praecipuas officii sui curas hanc esse voluit, ut in statu ecclesiastico splendorem religionis coniungeret cum artium honestarum studio. Sub eius episcopatu valde promotum esse litterarum studium in ecclesia Paderbornensi docent hi versus ex vita s. Meinwerci huc transscripti:

Sub quo (Imado) *in Patherbrunnensi ecclesia*
Publica floruerunt studia:
Quando ibi musici fuerunt et dialectici,
Enituerunt Rhetorici clarique grammatici.
Quando magistri artium exercebant trivium,
Quibus omne studium erat circa quadrivium.
Ubi mathematici claruerunt, et astronomici;
Habebantur physici atque geometrici;
Viguit Horatius, magnus et Virgilius,
Crispus ac Sallustius, et Urbanus Statius;
Ludusque fuit omnibus insudare versibus,
Et dictaminibus iucundisque cantibus etc.

Rhetorica, poesis, philosophia, doctrina theologica et omnium scientiarum genus dirigente illo mirifice floruit, aderantque simul magistri ac doctores praestantissimi, disciplinas illas in scholis cathedrali templo coniunctis cum singulari eruditione tradentes. Quare ad eam scholarum celebritatem confluxere Paderbornam ingenui et nobiles adolescentes ex tota Westfalia atque Saxonia. Ad operam, quam navabat scholis, accedebat in ecclesiam et loca sacra insignis munificentia, quae primis Westfaliae praesulibus adeo solennis ac paene cognata fuit, ut eorum nemo episcopalis aerarii proventus alium in finem impendere solitus sit, quam ad ornatus sacros, pauperum sustentationem et catholicae religionis incrementa. Monasterio Abdinghofensi donavit praedium Tuistanum, multo

Digitized by Google

liberaliorem se exhibuit erga ecclesiam suam cathedralem, quae, cum anno MLVIII. miserabili urbis totius incendio conflagrasset, magnis pecuniarum impendiis ab eo restaurata ac decennio post consecrata est assistente et hunc actum solenniter honorante Sigifrido, Moguntino archiepiscopo. Alias quoque septuaginta et amplius auri marcas in variis eiusdem ecclesiae altaribus, Deo, b. virgini et aliis coelestibus obtulit, ut pro temporis et locorum opportunitate converterentur in usus sacros. Praefuit autem ecclesiae Paderbornensi annis viginti quatuor: morte demum beata vitam virtutibus meritisque plenam consummavit anno MLXXVI. die III. Februarii.

Digitized by Google

XXVIII.

S. Benno II.,

episcopus Osnabrugensis XVIII.

Refertur cum titulo sancti a Rolewinckio l. III. c. 8, ubi haec refert: *In Iburg sanctus Benno episcopus Osnabrugensis*, et ab Hieronymo Emsero in vita s. Bennonis, episcopi Misnensis, relata ab Henschenio in Actis sanctorum ad diem XVI. Junii. Cum titulo beati a Gelenio in fastis ad diem XVI. Aprilis, et in catalogo episcoporum Osnabrugensium, qui praemissus est maiori synodo habitae Osnabrugi anno MDCXXVIII. die XXVIII. Martii, ubi haec sunt: *Decimus octavus episcopus beatus Benno II., miraculo natus sterilibus parentibus ex praeposito Hildesiensi episcopus Osnabrugensis, a s. Annone consecratus, fundator coenobii Iburgensis et montis s. Gertrudis, privilegiorum egregius vindex. Glires sacris obnunciationibus devovit, qui intra ducentos et octoginta annos tota dioecesi non sunt conspecti. Obiit anno MLXXXVIII., sedit annis viginti.*

Vita s. Bennonis copiose perscripta est a Norberto, abbate coenobii Iburgensis secundo, anno MLXVIII.; edita est ab Eccardo in libro, qui inscribitur *Corpus Historicum medii aevi*, Vol. II. p. 2162—2195. Vitam s. Bennonis versibus tradidit Maurus Rostius, abbas Iburgensis. Praeterea Moeser in historia Osnabrugensi de s. Bennone praeclare disseruit.

Inter episcopos Osnabrugenses s. Benno eminet magno sanctitatis fulgore. Natus est in Sueviae vico, qui vocatur Lüningen, parentibus apud suos vitae integritate et religionis amore claris. Qui cum diu sine prole mansissent, iter Romam susceperunt, a deo prolem efflagitaturi. Deus exaudivit devotissimas eorum preces neque ita longe post genuerunt filium, quem Bennonem vocaverunt et ex voto ante facto sacris

Digitized by Google

litteris et officio divino dedicaverunt. Quare cum in Argentina civitate Hermanno Contracto, historiarum scriptori inclyto, erudiendum tradiderunt. Apud eum tantos in litteris progressus fecit, tantopere omnes condiscipulos velocitate discendi et ingenio atque scientia superavit, ut multis et nobilibus viris praecipue episcopo Argentino innotescere coepit. Hic enim, iter in terram sanctam facturus, eum sibi comitem adiunxit.

E terra sancta in patriam reversus, Spiram se contulit, ubi eo tempore studium litterarum ardentissimum floruit. Postquam in ea urbe magnam sibi doctrinam atque eruditionem paravit, Henricum imperatorem Goslariam secutus est, neque multo post eius insignis eruditio tam nota est facta, ut multi principes eum sibi suoque territorio conciliare contenderent. In hoc certamine vicit Ezelinus, episcopus Hildesiensis, qui magnis promissionibus eum permovit, ut Hildesiae susciperet munus primi scholarum cathedralium moderatoris. Hoc munere functus est tanta sollertia atque religione, ut schola Hildesiensis magnam famam per totam Germaniam consequeretur. Praeterea Ezelinus etiam in rebus gravioribus Bennonis consilio utebatur et legationum officia ei mandabat. Postquam rediit cum Ezelino ex expeditione, quam Henricus III. imperator contra Ungaros susceperat, factus est praepositus ecclesiae cathedralis Hildesiensis et archipresbyter Goslariensis, et tanta prudentiae ac probitatis specimina dedit, ut defuncto Bennone I., episcopo Osnabrugensi, imperator non dubitaret, illum anno MLXVII. ei subrogare.

Primo die sequentis anni a s. Annone, archiepiscopo Coloniensi, Coloniae solemnibus caeremoniis episcopus consecratus est. Inde Osnabrugam profectus, magna solertia atque industria dioeceseos sibi commissae saluti consuluit, „verbique dei semina populo spargens, moribus subditorum excolendis insudans, universa suae dispensationis officia, districtionis et indulgentiae moderamine administrans, prorsus se sibi et omnibus utilem et profecto non minus honorabilem praebuit. Per quasdam invias paludes, quarum in illis regionibus multa sunt, siccas et aequales itinerantibus vias fecit, in loco castri Iburgensis, tempore Caroli M. diruti, monasterium ordinis s. Benedicti exstruxit multisque bonis exornavit, multaque alia ad

Digitized by Google

salutem dioeceseos suae promovendam perpetravit. Vivendi ratio, quam annis vitae extremis tenuit, erat religiosorum Iburgensium, cum quibus familiarissime conversatus ita se gerebat in studio spirituali, ac si iisdem regulis adstrictus esset. Obiit meritorum ac virtutum plenus die XXVII. Iulii anno MLXXXVIII. in monasterio Iburgensi."

Eius virtutes describit Norbertus abbas hisce verbis: „Inerat Bennoni episcopo vis magna ingenii et excellens constantia animi, sermoque promptus et facilis, ut suos ad quae vellet auditores efficax inclinaret, persuasibilis et fortis semper blanditias terrore respergens, ut peccantibus nequaquam sui odium arguendo infligeret, sed emendandi amorem, porro in consiliis sive colloquiis privatis, ubi saepe de perfidis et periuris hostibus, seu quolibet regni negotio callide intendi, et diligenter cuncta oportet tractari, tantae perspicaciae et providentiae fuit, ut mox in ipso exordio rei agendae de excelsa specula ingenii, quo cuiusque vergeret sermonis intentio, et totius negotii prospectaret eventum. In fidei autem constantia, seu cuilibet hominum amicitiae observatione promissae, omnibus paene incomparabilis fuit, quam nullorum unquam pollicitationibus munerum, maiorisve emolumenti respectu aut immutare, aut quolibet modo unquam est violare compulsus. In erogandis denique donativis munerum, in suos quidem parcior, erga extraneos vero erat largitate perspicuus, quod quare in moribus habere consueverit, nos ignorare fatentes, id unum de eo certo affirmare audemus: eum nunquam aliquid, quod quibusdam fortasse reprehensibile videri potuisset, in consuetudine habere solitum fuisse, quod non esset prudentiae profunda arte conditum; circa pauperes et egenos, seu qualibet tribulatione afflictos omnimode illi erant viscera pietatis et immensa compassio, ita ut captivis et infirmis esurientibus et nudis, peregrinis et advenis, viduis et orphanis, qualibet semper vellet pro viribus miserationis ope succurri; maleficos autem, adulteros et periuros, sacrilegos sacrorumque violatores dierum, cunctosque violatae ecclesiasticae sanctionis reos, qui synodali deberent severitate puniri, tanta terroris invectione coercuit, ut nulli unquam in eius praesentia accusato, reique obiectae convicto, quolibet in crimine licuerit impune

Digitized by Google

peccasse. Non enim more quorundam perversorum, muneribus acceptis, peccantibus indulsit, sed quoque purgationis genere pro modo criminis poenitentia indicta solertissime cavere solebat, alieni sceleris reus inveniri; si qua autem tali in re accipi licere ecclesiarum consuetudo permittit, pauperibus eroganda omnimode oblata non renuit.

Qui vero suppliciis mundalium legum praevaricatione fuerant addicti, seu morte damnati, utrisque suo modo subvenire consuevit, hoc videlicet erga iudices et huius negotii praefectos omni sedulitate laborans, pecunia etiam plerumque oblata paciscens, quatenus his poenas deberent levioribus mitigare tormentis ne omnino impunita pertransiens facinorum admissio alia perpetranda, et fortasse maiora audere suaderet; illis vero, quibus in poenam debebant tormenta irrogari maiora, ut vitae reservatis poenitere liceret; si vero id impetrare non posset per semetipsum, plerumque aut alio misso presbytero, confessionem eos facere, et in ipsa morte aliquando dominici corporis viatico dato seram licet poenitentiam agere coepit hortari. Verum haec quae hic per anticipationem et strictim de moribus eius referre coepimus, plenissime in episcopatu degens exercuit, quasi enim hac primitus in palestra ludens iuveniliter addidicit, postquam in agone positus viriliter decertans fortius monstravit.

Mortificationi carnis deditus frequenter ieiunare, frequenter carnibus abstinere solebat, ad quod alios etiam verbo et exemplo hortabatur. Quando autem, ut saecularibus mos est, ab alio rogaretur, ut sibi ex causa ieiunium solvere liceret, quod in recompensationem et vicem s. Missae sacrificium per aliquem offerri vellet, se quoque esse presbyterum quasi alludendo professus, missae pretium sibimet dari praecepit, in cuius exactione semper facultatem rogantis attendit, et totum pauperi dedit, ut vestibus comparatis, ille pro manducante oraret, quod factum ipse praesentibus, taliter itidem iocando commendare solebat, deo videlicet gratius esse, pauperem vestire, quam per totum diem vacuum portare ventrem, atque eo pacto et satisfecisse domesticis et pauperibus consuluisse, sed nec solitae devotioni multum subtraxisse mediante caritate curaverat. Sed inter haec tamen irae aliquando minus

Digitized by Google

imperare et iracundiam temperare valebat, ita ut plerumque etiam sine ratione videretur irasci; verum tamen eo modo, quod de se ipso quidam aiebat:

Irasci facilis, tamen ut placabilis esset,

quae sive consulte sive quadam cum passione effecerit animi, plurimum sibi nimirum a subditis, reverentiae et timoris extorsit.

Praeter eos autem, quos enumerare longum est, in eo sitos experientiae usus, summarum utique rerum administratione dignissimos, erat ei et leviorum admirabilis peritia. Villicandi enim scientia adeo super omnes pollebat, qua videlicet in aedificiis construendis, iumentis et pecoribus educandis, agris serendis aliarumve rerum rusticarum constare videtur quaecunque cultura: quam tamen non usu constat eum didicisse, sed arte, ut haec paene eo nemo curaret solertius nec his felicius abundaret."

Digitized by Google

XXIX.

S. Erpho,

episcopus Monasteriensis decimus septimus.

Refertur cum titulo sancti a Rolevinckio l. III., ab Alberto Boichhorstio, cathedralis capituli Monasteriensis olim syndico, in Erphonis vita anno MDCXLIX. edita. Sanctitatem et cultum eius iam ab antiquis saeculis indubitatum aperte comprobant documenta varia ab eodem Boichhorstio fuse adducta c. 13, e quibus primum est pars aliqua lapidis antiqui reperti in eius sepulcro circa verticem, cum hac inscriptione vetustissimis literis exarata: *Sanctus Erpho.* Alterum documentum est sacellum et altare eiusdem honori erectum in ecclesia Mauritiana, uti constat partim ex tabulis fundationis laudatis a Boichhorstio in eius vita, partim ex codice rubeo, quem vocant, collegii Mauritiani, ubi p. 503. haec sunt: *Anno domini MCCCXLVII. erectum est altare in sacello divi Erphonis episcopi, et consecratum in honorem b. Bartholomaei apostoli, ss. trium regum et Erphonis praedicti.* Tertium sunt plurimae oblationes et fidelium vota olim ad illius altare fieri solita, de quibus idem codex rubeus p. 503. haec perhibet: *Quidquid beato Erphoni in aere seu denariis, cera, lino, luminibus, aliisque rebus offertur, fideliter praestabiliter illi ex dominis nostris, cui praedictum sepulcrum fuerit commissum.* Quartum sunt cerei et lampades, quibus sacellum atque sepulcrum eius ab aliquot retro saeculis honorabatur. Qua de re idem codex rubeus p. 475. ita scribit: *Thesaurarius administrabit perpetua lumina de sebo, unum in choro ante venerabile sacramentum, item duo vesperi, quae per noctem tantum cremabant, unum scilicet in porticu ante capellam s. Blasii, alterum ad Erphonis sepulcrum et capellam.* Olim lampas erat in medio sacello suspensa. Haec de sanctitate et cultu huius episcopi.

Quod ad reliquam illius vitam attinet, negandum est, quod P. Strunckius aliique affirmaverunt, eum una cum Godefrido Bullionensi iter in terram sanctam suscepisse. Nam annalista Saxo refert,

Digitized by Google

b. Erphonem inde iam rediisse anno MXCII. Hac de re aliisque, quae ad vitam s. Erphonis pertinent, accurate disputavit Erhardius in libro saepe laudato *Regesta hist. Westfaliae*, I. p. 202—210, quapropter nobis accuratiore disquisitione supersedere licebit.

Ecclesiam s. Mauritii, quae Monasterii amoeno situ extra muros conspicitur, venerandis ossibus atque sepultura sui corporis admodum illustravit b. Erpho, Monasteriensis episcopus, et eiusdem collegii Mauritiani fundator secundus. Natus erat inter Ostfalos vel Thuringios parentibus nobilibus [1]) et cognatus Friderici episcopi et antecessoris sui, cui in augenda, quam inchoaverat, fundatione Mauritiana praecipuus adiutor fuit. Primos adolescentiae suae annos, qui in litterarum studiis consumi solent, videtur exegisse in gymnasio ecclesiae Goslariensis, doctrinarum et eruditionum floribus tum celebri. Inde Theologiae et sacratiorum scientiarum studiis absolutis Rhemos in Galliam evocatus est, ut ibidem canonicatum simul, et scholarum cathedralium praefecturam caperet. Eo in officio cum per annos aliquot industriam aciemque ingenii sui praeclare exercuisset, a consanguineo suo Friderico, Monasteriensi antistite, in episcopalem familiam adoptari coepit, sive ut ipsius fatiscenti senio manum cognatam supponeret, sive ut spes ei fieret, in episcopali purpura quandoque succedendi.

Neque his desideriis coeli aspirantis favor defuit. Praeterquam enim, quod ecclesiae cathedralis commoda constanter quaerebat, praeclaris animi dotibus et agendi consuetudine civium populique Monasteriensis animos ita sibi conciliavit, ut ubi ineunte anno MLXXXV. [2]) Friderico iam defuncto suffectus esset, tota patria moerorem lacrimasque suas facile consolata. Initio suscepti regiminis primam sibi legem posuit, erga omnes clementem esse, et ubicunque opitulandi occasio se offerret paternae caritatis viscera cuilibet exhibere. Aperuit hanc mentem suam, et expressit inprimis litteris, statim ab episcopatus initio ecclesiae Freckenhorstensi datis clarissimis hisce verbis in earum fronte positis: *Ad omnium fide-*

---

[1]) Erhard, *Geschichte Münsters*, p. 68.
[2]) Erhard, Regesta hist. Westf. I. p. 202.

Digitized by Google

lium notitiam pervenire desideramus, qualiter ego Erpho septimus decimus sanctae Mimigardefordensis ecclesiae divina miserante clementia episcopus, fidelium petitionibus, in quantum potui, ascensum praebendo, oppressis subvenire, afflictis parcere, confractos solvere animum induxi; cum solum placeant omnipotenti, qui misericordiae sunt dediti, nec invident alienae felicitatis."

Accedebat huic benignitati ac misericordiae singularis beneficentia erga ecclesias et loca deo sacra, in quibus exornandis dotandisque ea desudabat sollicitudine, ut vere de se dicere potuerit cum rege Davide: *Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.* (Psal. XXV. 8). Coenobium templumque Transaquense b. Mariae virginis, quod ante annos quatuordecim funesto incendio deformatum erat, non modo novis altaribus positis revocavit ad splendorem pristinum; sed etiam solenni pompa iterum consecravit, primo quidem occidentalem partem istius monasterii, quae deserviebat habitationi virginum, die III. Januarii anno MLXXXV., deinde templum et altaria illius nova, die XXIX. Decembris anno MLXXXVI., postremo quoque chorum virginum die XVI. Augusti anno MLXXXVIII. [1]) Ecclesiam cathedralem anno MLXXI. incendio magnam partem deletam restituendam curavit eique ad augendos reditus largitus est duodecim illa praeclara praedia cum duobus feudis, quae vulgato nomine officium Rimoldinghoffianum sive Casearium dici solent: nec dissimile veri est, donationem hanc ab eo factam esse die II. Novembris anno MXC., quo eandem ecclesiam celeberrima pompa dedicavit, assistentibus Hermanno Coloniensi archiepiscopo, metropolitano suo, et Henrico episcopo Leodiensi.

Denique collegio canonicarum Mauritiano extra muros, quod a Friderico ipsius antecessore et consanguineo fundatum erat, circa annum MLXX., tam liberalem se exhibuit, ut in omnibus eius ecclesiae tabulis, et ipsius etiam sepulcri inscriptione constanter appellatus sit: *S. Erpho episcopus Monasteriensis et huius ecclesiae fundator secundus.* Neque intra solos urbis Monasteriensis ac pomoeriorum terminos ste-

[1]) Erhard, l. c. p. 202.

Digitized by Google

tit haec munificentia: in alias quoque ecclesias effudit se, ac praesertim in collegium domicellarum virginum Freckenhorstense, haud procul Warendorpio urbe situm. Patiebantur eo tempore virgines illae insignem rerum omnium penuriam, quam copiosis verbis describit ipse in litteris [1]) isti collegio datis: *Panes, qui dabantur*, inquit, *parvi et viles erant: carnes praebendariae adeo viles propter macredinem et parvitatem erant, ut aliquoties ferculum non longius esset, quam est minimus digitus alicuius adulti hominis. Pisces non dabantur in quadragesima, praeter unum salmonem, qui in coena domini dabatur; nec erat illis aliquod solatium, unde possent, cum domino servirent, habere sustentaculum. Vinum dabatur eis, sed indiscreti, et minus quam indigerent: velissima quoque cerevisia, nulli fere, nisi indigentissimo potabilis. Pecunia denique ad comparandum vestitum parva erat, nec ad dimidium sufficiebat alicui earum.* Itaque ut huic necessitati et indigentiae modum poneret benignus pater, amplas eidem collegio assignavit decimas et alia quaedam praedia; ordinemque simul praeciarissimum statuit, quo in posterum liberalius ali, et ea, quae ad victum ac vestitum pertinent, copiosius ministrari deberent, dei famulabus divino servitio occupatis.

De reliquo sidus istud Westfaliae nostrae non semper ita purum fuit ab omni labe, quin aliquando visum sit subiisse maculam aliquam, uti vel in ipso sole deprehendunt astronomiae gnari. Maculam hanc inteiligo, quod initio regiminis sui nonnullo tempore adhaesit Henriciano schismati et Guiberto antipapae contra s. Gregorium septimum Romanae ecclesiae papam legitimum, cui factiosi quidam cum Henrico IV. imperatore pontificatum iniquissime abrogaverant. Sed huius erati veniam facillime indulgebit ei, quisquis historiam aevi istius fronte vel prima viderit. Certe ea tunc erant tempora, quibus nihil in ecclesia perturbatius: ii passim volitabant sermones per ora factiosorum, quibus innocentissimi pontificis vitam acerrime traducebant, ut incautis facilius persuaderent, eum fastigio sedis Apostolicae indignum esse; quid ergo mirum, etiam virum hunc ab huiusmodi fraudum criminumque

[1]) Erhard, l. c. Codex dipl. p. 129. sq.

Digitized by Google

architectis potuisse decipi? Agnovit hoc ille postmodum non sine amaris poenitentiae sincerae lacrimis: atque ut labem hanc, tametsi imbecillitate potius, quam voluntate contractam penitus expiaret, suscepit anno MXCI. die Februarii una cum Bodone comite et Liudolfo, praeposito ad s. Mauritium, difficillimum illud iter in terram sanctam. Ut autem placato prius numine iter hoc sibi suisque sociis fortunatum fieret, pridie discessus sui populum omnem poenitentiae causa in templum cathedrale convocavit, Schismaticorum societatem publice abiuraturus, et se suosque reconciliaturus cum ecclesia. Nam scribit ipse in diplomate secundo Freckenhorstensi: „quo etiam die (XI. Febr.) poenitentes in ecclesiam introduxi; et reconciliationem et indulgentiam totis votis, totisque animi viribus, quoad poteram, facere institui, utpote sequenti die Hierosolymam iturus.“ Inde magnis animis Monasterio discessum est, et multas itineris difficultates passi tandem in terram sanctam pervenerunt, ubi nescio qua occasione hostili ferro consumptus est Ludolphus, beati Erphonis comes et praepositus ad s. Mauritium, de quo codex rubeus istius ecclesiae haec refert: „Quatuor coronatorum martyrum VIII. Novembris, Ludolphus praepositus huius ecclesiae, occisus in terra sancta, qui una cum Erphone profectus est in terram sanctam.“ Erpho autem feliciter ad suos rediit anno MXCII. Inde pergebat oves sibi creditas in pace regere usque ad annum MXCVII., quo vitam suam varia virtutum laude inclytam beato excessu clausit die IX. mensis Novembris. Corpus eius magnis honoribus humatum est Monasterii extra urbem in sacello ecclesiae Mauritianae contiguo, ubi monumentum eius hodie adhuc perstat, furiis quidem anabaptisticis sexto decimo saeculo dirutum confractumque; pietate tamen ac sumtibus domini Jodoci a Werne, eiusdem ecclesiae scholastici, pridem restauratum cum hac inscriptione: *Reverendus ac nobilis dominus Jodocus a Werne huius ecclesiae ad annos XXIII. scholasticus, sepulcrum hoc olim magnifice exstructum, sed per diram anabaptistarum rabiem antehac dirutum et confractum, in honorem omnipotentis dei et sancti Erphonis, Megapolitanae familiae comitis, praesulis Monasteriensis XVII. ac secundi huius ecclesiae fundatoris,*

Digitized by Google

cuius sacrum corpus hic requiescit, de novo erexit, et honorificentius poni curavit anno domini MDCXX.

Miracula, quae antiquioribus saeculis ad sepulcrum viri sancti perpetrata sunt, memoriam nostrorum temporum non attigere. Recentius est, quod anno MDCXX., quando sepulcrum huius sancti religiose apertum ac restauratum est, Monasteriensis civitas contigisse vidit in perillustri ac gratioso domino D. Egberto a Clevorn de Darvelt. Decubuerat is longo tempore ex gravi pedis utriusque contractione, ex qua geminis primum fulcris incedere; post vero etiam manibus pedibusque per humum repere cogebatur. Desperata quam frustra adhibuerat medicorum ope, cum nullam sibi spem recuperandae valetudinis superesse cerneret, nisi in solo deo et suffragiis beatorum, dilectissimam sibi coniugem Elisabetham a Travelmann iterum iterumque hortantem audit, fiduciam ut suam in beati Erphonis patrocinio poneret: compertum sibi saepius esse ex ore reverendissimi ac perillustris domini Henrici a Galen, canonici cathedralis et ecclesiae Mauritianae quondam praepositi, frequentes fidelium oblationes iam inde ab antiquis temporibus ad eius sepulcrum factas esse: forsitan et ipsi invocationem huius sancti salutarem fore. Paruit his dictis aeger; emissoque voto de offerendo ibidem librae unius cereo rogat coniugem, ut munus hoc qualecunque adiectis pro se precibus ad sepulcrum beati Erphonis ferat: se interim animo quoque suo in preces provolutum iri, et quidquid divino numini de se visum esset promptissima ad eius nutum voluntate praestolaturum esse. Res mira! vix religioso huic postulato satisfecerat devota mulier; erat autem diluculum eius diei, quo ecclesia catholica adventum spiritus sancti anniversaria celebritate recolit, cum Egbertus illico, nondum reversa ad aedes coniuge, divinitus se adiutum sensit, dolore primum e sinistro pede in dextrum recedente, et inde ulterius ex omnibus etiam nervis penitus expulso. Exstant adhuc de ea re tabulae publicae anno MDCXXXXVIII., notarii iurati manu consignatae, et ab Alberto Boichhorstio in vita b. Erphonis relatae. Eiusdem beati honoribus imaginem satis elegantem accolari, suisque in illius vitam commentariis praefigi fecit idem Boichhorstius: in qua b. Erpho stat in habitu pontificali,

Digitized by Google

magno radiorum fulgore frontem circumdatus, dextraque pedum, sinistra librum apertum et explicatum tenens cum hac inscriptione: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi,* (Gal. VI.) Supra caput in appicta nube eminet angelus, geminas de coelo coronas ferens, unam inscriptam pacifico, alteram legitime certanti. Partem imaginis superiorem ornant hi duo tituli, coronis supradictis intersecti:

PASTOR BONUS — ET MILES CHRISTI.

Infra pedes vero eiusdem imaginis basi incisa est haec inscriptio cum adiecto carmine:

S. Erpho
Mimigardefordensis, qui nunc dicitur Monasteriensis episcopus XVII.

Hanc sanctam superi sacra gloria luminis ambit, fulgentem gemina pacis bellique corona.

Breve compendium vitae et rerum ab Erphone gestarum nobis exhibet tabula anno MDCXLVIII. ab Ioanne Friderico Ploenies ecclesiae Mauritianae canonico ac thesaurario in sacello s. Erphonis posita, cuius postrema pars haec continet:

Sanctus erat David, et sanctus episcopus Erpho:
Nec tamen a naevo liber uterque fuit.
Miraris lector? nihil est. Nec Cynthia naevo
Libera, nec maculis sol caret ipse suis.
Erpho tamen, cum rege David, lacrymatur, et inquit:
Vae mihi! vae! quantum poenitet esse reum?
Nos o! quid facimus? toties peccamus, et eheu!
Vix quisquam vere si dolet esse reum.
Ibo lubens Solymas, sit hic; errataque sacro
Vel mea Marte luam, vel mea morte luam.
Nos ubi peccamus, nihil in peccata movemur:
Quos peccare iuvat, poenituisse piget.

Digitized by Google

XXX.

B. Amo, aliis Amanio,

monachus Abdinghoffensis.

Refertur cum titulo beati a Nicolao Schatenio Tom. I. Annal. Paderborn. p. 444. De eodem agit liber vetustus manuscriptus coenobii Abdinghoffensis.

Monasterium Abdinghoffense, ordinis s. Benedicti intra Paderbornam, initio tenuerunt Cluniacenses monachi, quos s. Meinwercus eiusdem conditor ob eximium regularis instituti rigorem e Gallia secum deduxerat, ut Westfaliae novum peregrinae sanctitatis splendorem infunderent. Erant hi numero tredecim, primusque ex iis abbas anno MXV. a sancto Meinwerco constitutus est Sigehardus: in cuius disciplinam cum plures ministerialium civiumque filii sese confestim traderent, ad regulam Cluniacensis observantiae ita formati sunt, ut existimasses, novum in Westfalia Cluniacum surgere. Floruerunt in eo viri in omni sanctitatis genere spectatissimi, de quibus tamen nihil fere nisi nomina ad posteros pervenerunt.

Inter alios hoc loco memorandus est beatus Amo, integerrimae virtutis vir: de quo tamen dubium est, utrum fuerit ex eorum numero, quos b. Meinwercus e Gallia secum deportavit, an ex iis, qui ad monasterii Cluniacensis normam Paderbornae educati sunt. Quam primum sacerdotali charactere insignitus erat, in illud incumbebat unum, ut adeptae dignitatis gradum religione et sanctimonia morum illustriorem faceret.

Digitized by Google

Ad sacrificium s. missae accedebat semper cum summa animi devotione ac reverentia: et quia solitudo loci subinde non parum facit ad inflammanda pietatis incendia, non alio fere loco sacris mysteriis operabatur, quam in vicino sacello s. Alexii, quod a b. Meinwerco excitatum atque a monasterio Abdinghoffensi solo coemeterio erat disiunctum. Singulari affectu misericordiae spiritualis ferebatur erga animas fidelium defunctorum: et ideo, quoties in aditu recessuque sacelli Alexiani transibat supra dictum coemeterium, non modo renovabat memoriam secuturae mortis, sed etiam pedes suos non movebat de loco prius, quam fidelium ibi sepultorum animas ardentissima prece deo commendasset. Nec enim ignorabat illud Augustini verbum: *Orationibus sanctae ecclesiae et sacrificio salutari, et eleemosynis, qui pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, ut cum eis misericordius agatur a domino, quam eorum peccata meruerunt: hoc enim a patribus traditum universa observat ecclesia.* Et vero officium hoc assiduae caritatis deo non parum placuisse, eventus docuit. Cum enim solenne illud tenuisset annis pluribus, et quodam die e coemeterio discessurus preces pro defunctis persolutas ex recepta ecclesiae consuetudine clausisset hoc versiculo: *Requiescant in pace;* subito exaudivit ingentem multitudinem ex sepulcris respondentium sibi clamantiumque: *Amen, Amen.* Haesit ad inopinam vocem hanc non modice consternatus b. Amonis animus: et quia dubitare nequaquam poterat, quin haec vox ab ipsis defunctorum spiritibus orta sit, pietatem hanc usque ad ultimos vitae annos constantissime tenuit.

Abiit ex hac mortali vita die VIII. mensis Iulii, quod testatur necrologium Abdinghoffense. Quo vero anno obierit, nemo memoriae tradidit. Simillimum vero est, eum vixisse aut sub finem saeculi XI. aut certe saeculo XII. cum Cluniacensis ordo ibidem in suo statu vigeret et in eiusdem coenobii coemeterio, quod civium plurimis usque ad initium saeculi XIX. commune erat, non modica defunctorum turba requiesceret. Claudimus hoc breve compendium vitae eius paucis versibus, quos eius tumulo reverenter appendimus:

Digitized by Google

Quis iacet hic? Venerandus Amo. Quid fecit? amavit.
Ecquis ei vitae stamina rupit? amor.
Et quid amavit Amo? virtutem, sidera, Christum.
Quo stadio vitam trivit? amando deum.
Quid loquitur moriens? morior consumptus amore.
Cuncta quid illius gesta loquuntur? amo.
O! utinam tanti nos gesta sequamur amantis,
Atque deum tecum semper amemus, Amo!

Digitized by Google

XXXI.

B. Hermannus,

clericus et martyr Susatensis.

Refertur cum titulo beati a Stangefolio l. III. et a Gelenio in hist. s. Engelberti l. I. c. 4. Agunt de eodem Kleinsorgius, et Caesarius Heisterbacensis hist. memorab. l. IV. c. 99. Passus est circa initium saeculi XIII. neque longe post annum MCC. Caesarius enim *Historias memorabilium* scripsit anno MCCXXII., ut ipse dicit l. X. c. 48, et ubi in Hermannum beatum incidit, ita scribit: *Non est diu, quod in Susatia clericus quidam fuit peregrinus Hermannus nomine, super cuius tumulum ecclesia fabricata est.*

Susatum, ubi Hermannus pro tuenda castitate olim periit, una ex florentissimis totius Westfaliae fuit urbibus, cuius iam anno DCCCXXXVI. mentio in historiis facta est. [1]) Florebat in ea olim praeter alia sex parochialia templa, canonicorum collegium, cuius basilica plane magnifica est, et s. Patroclo martyri, urbis patrono ac protectori, sacra. In ea media conspiciebatur olim statua huius sancti inaurata, supra columnam posita, armis, chlamyde, strictoque gladio exornata cum hac epigraphe:

Susa, patroclus ego tibi sum, dux atque patronus:
Praedones feriam gladio, vindex tibi fiam,
Haec loca defendam, pravis mala facta rependam.

In ipsa quoque curia picta imago fuit s. Patrocli, cui,

---

[1]) In historia translationis s. Viti apud Pertzium, l. c. T. III.

Digitized by Google

priusquam in senatu pertractandae alicuius rei initium fieret, honorem exhibere solebant olim viri senatores, donec religioni catholicae addicti erant. Ad decem urbis portas exstabant oratoria, civium pietate olim exstructa, additusque tunc census annuus, ut ibi quotidie presbyter sub primam lucem operaretur sacris, quibus interesse possent diluculo exituri. Quae tamen consuetudo desiit ab eo tempore, quo ab avitis sacris Lutherani iam cives descivere. Pertinebat urbs haec tempore s. Engelberti Coloniensis archiepiscopi ad Coloniensem archiepiscopatum, fuitque metropolis totius Angariae. Nunc autem interdum appellatur magnus Westfaliae vicus, quoniam Susati opulentia iam pridem evanuit. In hac igitur urbe circa annum MCC. illustrissimum virginalis castimoniae exemplum praebuit b. Hermannus clericus. Erat is Susati peregrinus, aetate floridus, ingenio vividus, decorus facie, procerus corpore; verbo talis, in quo omnis gratia et venustas viro digna simul in unum fluxerat. Urebat continuo peregrina species opulentam urbis istius feminam atque ita concitabat ad illicita, ut amenti potius, quam amanti similis, in amores sibi non permissos rueret; parata, etiam omnium bonorum impendio turpem ab hoc redivivo Iosepho congressum emere. Sed maior erat, multoque inexpugnabilior Hermanni virtus, quam ut huiusmodi lenociniis morem gereret. Quidquid ipsa adhinniret casto pectori, repellebat ipse generosis animis. Dicens cum illo Josepho: *Quomodo possum hoc malum facere et peccare in deum meum?* Neque idcirco tamen detestandos amores posuit impudica mulier; sed in omnem perficiendi sceleris occasionem intenta, alios ex aliis modis artes fabricabat, quibus posset desideratum ab Hermanno consensum consequi.

Ad extremum vero, cum videret, hos omnes conatus suos vanos esse, tam pertinacis repulsae impatiens, velut stimulis agitata cruentis furia currit ad urbis praesidem, queritur de stupro sibi per vim illato, Hermannum tanti facinoris reum agit, obsecratque poenas ab eo condignas exigi. Non poterat iudex aliquis tam purae putaeque criminationi fidem ex aequo facere, cum satis constaret, mulieres etiam regias in huiusmodi negotiis mentitas esse. Nihilominus contra Hermannum, quidquid alias reclamarent iura omnia, continuo capta est

Digitized by Google

suspicio; tantumque vicit proclivitas credendi malum, ut facinoris impacti maculam etiam innocentis iterata negotio defricare non potuerit. Addicitur carceri, nullo convictus teste, trahitur, rapitur, clauditur.

Et interim infelix mulier nondum suos ignes obiicit; sed admotis per noctem scalis, nescio per quos inventos aditus in carcerem se ex alto deiicit, certa vel augere suspicionem criminis, vel amori vulnerato medelam impetrare. Mane altero die cum primum rumor insolentis facti urbem pervolasset, simul ingens suspicio coepit currere, num forte huic mulieri philtrum aliquod arte magica iniectum esset? Accedebant, ut fieri solet, malevolae quorundam voces; suspicio paulo post in opinionem vertitur: tandem velut certa et omnium ore conclamata veritas est, Hermannum veneficum esse, ideoque praecipitatis iudicum sententiis propediem ad ignes rapitur. Pergit tamen angelicus homo contestatione publica suam innocentiam etiam in mediis ignibus manifestam facere, cumque illius pectus iam eo usque a flammis exustum esset, ut inclusus palmo per hiantium costarum foramina videri posset, adhuc angelicam salutationem magna voce decantabat Mariae virgini, cuius auxilio singulari in perferendis cruciatibus mirifice confirmatus erat. Verum et hoc necromanticis dumtaxat artibus tribuebant multi: unus tandem e circumstantibus, qui lenam et leaenam istam propinquiore sanguine contingebat, longe audacior ceteris: *Hem!* inquit, *ut iste nequam simulata prece illudit nobis? facio, ut ocius dediscat illud.* Cumque ea dixisset, ardentem ex ignibus titionem arripit, et ita contorquet in ora morituri, ut animam simul omnem et extremas fugientis vitae reliquias e faucibus exturbaret. Particulae exustorum ossium postea in unam tumbam collectae et in eodem campo humatae sunt; fulsitque super eas longo tempore prodigiosa de coelo lux, castissimi iuvenis innocentiam contestata. Accesserunt miraculosae curationes et alia tam multa supra naturam, ut intra breve tempus non modo iudicii praecedentis sententia omnibus suspecta fieret, sed etiam unusquisque palam in plateis diceret, Hermannum coelo teste culpae omnis expertem fuisse, et utraque virginitatis ac martyrii laurea decoratum ad superos evolasse.

Digitized by Google

Quis tunc animus feminae, quae eum accusaverat? quis terror iudicibus? quae conscientiae torquentis anxietas iis omnibus, qui tam inconsultae necis et festinati iudicii auctores fuerant? Certe parentes et cognati illius feminae coelestium signorum magnitudine ita perculsi sunt, ut ad aedem primariam s. Patrocli poenitentium ritu adrepentes, et coram omni clero in terras provoluti, non modo confessione publica suorum delictorum veniam exoraverint, sed etiam praeter alias poenas sua sponte in se receptas, novam ecclesiam supra cineres b. Hermanni aedificandam voverint, quam deinde frequentibus miraculis innocentiae assertor deus illustrem fecit. Videtur ea stetisse extra urbem in monticulo, ubi vestigia etiamnunc exstant sacelli veteris, quod olim *Hermenkerke*, et nunc autem nomine magis immutato *Henrikirk* appellari solet. Id autem sacellum, vel manibus haereticorum, vel aliis temporum superiorum iniuriis plane eversum est, nihilque retinet moderno tempore, quam inanem recordationem antiqui nominis et afflicta rudera dolentibus oculis contemplanda. Quis non ingemiscat, cum videt talia: Heu pietas! heu prisca fides! Meretur tamen invicta constantia et castitas beati adolescentis, ut eius certamen perennibus fastis commendemus hoc brevi carmine:

Quid dicam? nocuitne mihi mea frontis et oris
  Forma? vel an potius profuit illa mihi?
Pulcher eram visu: vidit me femina talem,
  Et simul illicitis ignibus arsit amans.
Quos ego dum casto reprobarem pectore semper,
  Lena mihi subito facta leaena fuit;
Impatiensque mei, castumque exosa nitorem
  Turpis adulterii me facit esse reum.
Obfuit ergo mihi formosi gratia vultus;
  Qua sine, me mulier nulla procuta foret.
Sed tamen et martyr tunc non et virgo fuissem;
  Nec mea purpureis lilia mixta rosis:
Profuit ergo mihi formosi gratia vultus,
  Qua sine non essem creditus esse nocens.

Digitized by Google

XXXII.

S. Thietmarus,

episcopus Mindensis XXVII.

Refertur cum titulo sancti in ordine ac serie episcoporum Mindensium, quae praemissa est synodo dioecesanae iam aliquoties memoratae, in quo de illo haec leguntur: ***S. Diethmarus, vir magnae sanctitatis et miraculis clarus, sedit annis circiter XXI., moritur anno MCCVI.*** Eodem titulo honoratur in variis catalogis episcoporum Mindensium, apud Cratepoleum, Laurentium Beyerlinkium, Aubertum Miraeum, qui haec refert: „S. Diethmarus, successor legitimus, duxit hic vitam longe sanctissimam: quare quod miraculis ob virtutes claruerit, memoratur. Cum enim in die parasceves aquam ad potum petiisset, illa subito in vinum commutata est. Sedit autem hic pontifex in cathedra in maxima rerum perturbatione, dum Otto et Philippus de imperio digladiantur, annis XXI. et pridie D. Thomae Aquinatis anno domini MCCVI. in domino feliciter obdormivit.“ Chronicon Mindense manuscriptum, quod erat Strunckii aetate apud nobilem de Vincke, decanum Mindensem, praeter titulum sancti et alia supra enarrata addidisse, Strunckius ait, fuisse natione Bavarum: sedisse annis XXI., mensibus IV. ac diebus totidem: mortuum esse pridie s. Thomae Aquinatis anno MCCVI. sepultum in ecclesia Cathedrali Mindensi, et fuisse miraculis clarum. De eodem agit Crantzius vocatque virum abstinentissimum et multis utentem ieiuniis.

Virtutes s. Thietmari, tametsi eximias ac plane illustres fuisse constat, coelo tamen, quam terris notiores sunt. Perpauca enim de eius vita ad nos pervenerunt. Erat natione Bavarus, et ecclesiae Mindensis gubernacula consecutus est anno MCLXXXV., quo eius antecessor b. Anno, comes Blanckenburgicus. vitam mortalem exuit die XV. Februarii.

Digitized by Google

Initia sui regiminis plane quieta pacataque habuit, imperante etiamtum Henrico VI. Post huius vero excessum non modo res Westfaliae, sed etiam totius Romani imperii susque deque versae sunt, hinc Philippo Sueviae duce, inde Ottone Henrici Leonis filio, pro arripienda imperii corona pertinaci bello decertantibus. Coeperunt hae turbae anno MCXCVIII. tenueruntque mutuos inter conflictus usque ad annum MCCVII., quo bellum illud post varias agrorum populationes familiari primum compositione, mox etiam Philippi nece dissolutum est.

Interea s. Thietmarus, etiamsi ad annum hunc vivendo non pertigerit, ecclesiae Mindensis regimen turbulento hoc tempore ita gessit, ut inter praestantissimos sanctissimosque Westfaliae nostrae episcopos numerari possit. Affectiones et propensiones animi rectae rationis freno ita subiectos habuit, ut paene videretur hominem exuisse. Praecipua eius cura in pastorali officio eo vertebatur, ut vitam suam non modo ab omni labe servaret integram, sed etiam praeclarissimo quodam virtutum splendore exornaret; sciebat enim, etiam ad episcopos pertinere illud s. Bernardi: „Considera, te oportere esse formam iustitiae, sanctimoniae speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem.“ Corpori suo non multum indulgebat etiam aetate iam provecta: imo et atterebat illud frequenti ieiunio et multa cibi potusque abstinentia, quam deus ipse insigni etiam prodigio illustrare visus est feria VI. parasceves. Cum enim peracto officio divino diem hunc pro veteri consuetudine sua in pane et aqua vellet transigere et interim vires corporis tanto rigore perferendo non amplius pares essent, aqua ex puteo hausta, quam bis continenter aliam atque aliam afferri iusserat, iterum iterumque in vinum conversa est. Ille arbitratus a famulo sibi fraudem fieri, et idcirco oculum propinquiorem admoturus surrexit e coenaculo, iussit denuo aquam aliam tertio de puteo duci, invigilavit sollicite in omnes actiones et fallaciam sibi suspectam famuli. Cumque iterum experiretur, nova pocula in vinum conversa esse, potum hunc velut e coelo praebitum cum profundissimo cordis affectu sumpsit, deoque gratias egit, quod indignum se tam prodigiose flumine voluerit recreare.

Digitized by Google

Eodem vivente monasterium Monialium in Neudorf fundatum est a Simone, huius episcopi consanguineo et ecclesiae cathedralis praeposito, cui Thietmarus in hoc opere perficiendo multum auxilii videtur contulisse. Praefuit episcopatui suo annis circiter XI. Obiit enim anno MCCVI. die VI. Martii: sepultus est in ecclesia sua cathedrali, ubi variis deinde miraculis clarus fuit. Tumbae eius obiicimus hoc breve epigramma:

Thietmarus moritur! cessant ieiunia, per quae
Saepius impastos fecit abire dies.
Iam bibit ambrosiam: sitienti hoc nectar olympi
Quid mirum est nostras despuisse dapes?
Ne tamen et nimium ieiunia crebra nocerent,
Quamlibet invito fit Thetis ipsa merum.

Digitized by Google

XXXIII.

B. Hermannus,

comes et praepositus quartus Cappenbergensis.

Refertur cum titulo beati a Bollando in commentario praevio ad vitam b. Godefridi comitis, ab Ioanne Lepaige, Gelenio in sacris fastis Agrippin. ad diem VI. Augusti, ubi sic ait: ***Eodem b. Hermanni, quarti praepositi Cappenbergensis, ordinis Praemonstratensis, filii Lotharii de Are, et b. Hildegundis coniugum comitum, qui comitatibus Marensi et Arensi praeposuit improperium Christi; et mundi nobilitate spreta, per solides virtutes viam sibi ad coelos munivit.*** Eodem titulo sororem eius Hadwigem et matrem eius Hildegundem Gelenius condecorat et Bollandus. Effigies b. Hermanni iam olim in ecclesia Marensi ad matris suae dexteram depicta est cum radiis notisque aliis, quae sanctitatem indicant, uti videre est apud Ioannem Lepaige, et in vita b. Hildegundis apud Bollandum T. I. Februarii.

Pater b. Hermanni fuit Lotharius comes de Are. Hic autem comitatus videtur continuisse partem Eiffliae ad Aram fluvium iacentem. Mater eius fuit comitissa Marensis. Hic autem comitatus olim stetit prope Novesium urbem eiusque primarium castrum, Marense dictum, circa annum MCLXVI. a b. Hildegunde conversum est in monasterium virginum eiusdem nominis, vulgo ***Kloster-Meer***. Consilia matris suae in aedificando Marensi monasterio multum promovisse b. Hermannum, iam canonicum Cappenbergensem testatur et Reinoldus archiepiscopus Coloniensis in diplomate dato a. MCLXVI. apud Bollandum I. Febr., post vitam b. Hildegundis, dicens: ***B. Hildegundem, adiuncta sibi manu venerabilis filii sui Hermanni, quem tunc unicum habebat, deo sua bona obtulisse;*** et Alexander III. papa in bulla confirmationis anno MCLXXVIII. data dicens: ***Iuxta constitutionem Hermanni Cappenbergensis praepositi, cuius iuris castrum Mere noscitur extitisse.*** Inde etiam nominari solet fundator Marensis, uti constat ex catalogo praepositorum Cappenbergensium apud

Digitized by Google

Bollandum l. c., ubi dicitur: *B. Hermannus comes Arensis ex Lothario et b. Hildegunde natus, fundator coenobii Marensis, summa cum laude praefuit annis XL. Obiit anno MCCX. die VI. Augusti, sepultus in choro.*

Inter primora ecclesiae Cappenbergensis lumina non infimo loco recensendus est b. Hermannus, eiusdem ecclesiae quartus praepositus, et monasterii Marensis fundator. Natus hic erat ex illustrissimo comitum duorum sanguine, patre Lothario et matre b. Hildegunde, quorum ille comitatum Arensem, haec vero divisis cum sorore facultatibus suis Marensem tenuit. Ab utroque Hermannus in spes amplissimas educatus, maluit in coelo magnus esse, quam in mundo; vitam humilem agere cum Christo, quam in altis dignitatibus resplendescere. Ante alia religiosorum asceteria placebat ei maxime collegium Cappenbergense, eodem saeculo a beatis comitibus Godefrido et Ottone fundatum: in quo cum eo tempore laudatissima floreret sanctitas ac nitor disciplinae, quippe cui b. Otto, Godefridi frater praeesset, religiosam vitam cum veste candida amplexus est, relictis omnibus mundi bonis, coniectisque in fratrem unicum Theodoricum. Eminebat in eo statim singulare virtutum studium; annumque geminum tyrocinio sacro destinatum tanta alacritate percucurrit, ut absoluto biennio etiam absolutae sanctitatis exemplum videri posset. Neque primus iste fervor quidquam imminutus est successu temporis, sed magis auctus; sciebat enim, vitae perfectioris praemia a deo promissa non esse his, qui sancte incipiunt, sed qui in virtute perseverant et ideo iisdem cursibus, quos in primo tyrocinio fecerat, etiam per annos reliquos ad religiosae perfectionis apicem contendere nisus est.

Interea praeter Lotharium, eius patrem, etiam Theodoricus frater e mortali vita sublatus erat: ille quidem, ut opinor, domi suae; hic vero, si famae creditur, bello Italico ob incensum sancti Laurentii templum subitanea morte punitus, quamquam peracta prius admissi criminis poenitentia. Ea occasio cum b. Hermanno ad instituti Praemonstratensis propagationem videretur opportuna, coepit animum suae matris

Digitized by Google

aggredi, eidemque studiose persuadere, ut quoniam ea morte ius omne Marensis castri in se et ipsam recidisset, ex eo novum ordini Praemonstratensi monasterium conderet, ibidemque divinis intenta laudibus vitam reliquam inter virgines deo dicatas clauderet. Non abhorrebat ab his consiliis devota Hildegundis indoles: praesertim quod recentissime ante oculos versaretur pium facinus suae matris Hadwigis, quae similiter defuncto coniuge suo in monasterium Dunwaldense una cum Gertrude filiarum tertia se receperat.

Primum itaque ad beatorum Apostolorum limina Romam proficiscitur: inde ad focos patrios reversa, e Marensi castro coenobium excitat, in eoque Praemonstratensem habitum cum Hadwige unica filia sua devote suscipit. Primam eius loci priorissam egit Hildegundis ipsa, et post illam Hadwigis eiusdem filia: utraque miraculis variis post mortem claruit, et a maioribus nostris inter beatas numerari ac honorari meruit. Ut autem revertar ad b. Hermannum, vixit adhuc annis plurimis inde ab ingressu matris in ordinem Praemonstratensem atque in ecclesia Cappenbergensi non multo post ad supremos honores sese promotum vidit. Cum enim anno MCLXXI. b. Otto praepositus et comes Cappenbergensis e terrestri vita ad superos evolasset, Hermannus ob eximia suae nobilitatis et sanctimoniae merita eidem subrogatus est. Praefuit laudatissime paene ad annos quadraginta, suumque regimen felici egressu coronavit anno MCCX. die VI. Augusti. Honori eius iuvat hic adiicere carmen sequens:

Suspirant reges sub adepti pondere regni,
Et graviora tamen pondera saepe petunt.
At mihi vel gravis est comitatus portio parvi;
Orbe magis toto candidus ordo placet.
Hic sceptrum mihi crux, capitis tonsura corona est.
Atque vicem trabeae candida vestis habet:
Hic regnum servire deo est, et Regia claustrum,
Divitiae hic virtus, hic honor esse nihil.
Servus eram, cum liber eram: tunc libera facta est
Mens mea, cum servus dicerer esse dei.
Hoc mihi servitium semper dedit, esse beatum:
Omnia regna, deo qui bene servit, habet.

Digitized by Google

XXXIV.

S. Adolphus,

episcopus Osnabrugensis vicesimus octavus.

Refertur cum titulo sancti a Bollando ad diem II. Februarii, a Chrysostomo, Henriquezio, Petro Cratepolio et in Osnabrugensi Martyrologio, ubi ad diem supra citatum celebratur hoc praeconio: *Osnabrugi, in veteri Saxonia s. Adolphi, eiusdem civitatis episcopi et confessoris, qui, cum religiosus esset ordinis Cisterciensis in monasterio Veteris-Campi, ob vitae sanctitatem ad cathedram Osnabrugensem evocatus, et ibidem sepultus est.* Agunt de eodem Crantzius l. c. l. VII. c. 19. et Caesarius Heisterbacensis Histor. memor l. I. c. 22., et copiosius Moeser l. c. p. 33—60, ex quibus haec vita conscripta est non neglecto Breviario Osnabrugensi.

S. Adolphum fuisse constat e stirpe nobili et litteris imbutum in coenobio Veteris-Campi, vulgo *Kloster Camp.* Situm hoc est in dioecesi Coloniensi in confiniis Cliviae et Geldriae, fundatum a Friderico I., archiepiscopo Coloniensi, anno MCXXII., fuitque, ut ait Gaspar Jongelinus, *primum totius ordinis monasterium in Alamania.* Postea vero canonicus ecclesiae cathedralis Coloniensis fuit. Obiit s. Adolphus anno MCCXXIV., quo anno successisse ei Engelbertum, comitem Isenburgensem, certa documenta testantur. Accuratius s. Adolphi vita perscripta est a Moesero in *Osnabrückische Geschichte* Vol. III. p. 34—60.

S. Adolphus parentibus nobilissimis natus est. Nam pater eius fuit Simon I., comes Tecklenburgensis. Post absoluta literarum studia in monasterio Campensi, opulentum canonicatum obtinuit in templo metropolitano Coloniensi. Inde non solum ob claritatem nobilissimi generis, sed maxime ob

Digitized by Google

vitae ac morum integritatem ad ecclesiae Osnabrugensis gubernacula anno MCCXVI. evocatus est. Primo statim anno regiminis sui dedit *Privilegium clericorum de exuviis non dandis*, in quo haec sunt: *Ab antiquis antecessorum nostrorum temporibus consuetudo fuit in Ecclesia Osnabrugensi, quod decedentibus Ecclesiarum Canonicis ab Episcopo inbeneficiatis, tam in Ecclesia Cathedrali quam in aliis Conventualibus Ecclesiis, Episcopi per Executores suos Laicos vestes et equitaturas decedentium occasione cuiusdam exactionis pessime, que vulgo dicitur Herewede, sibi vindicabant. Sicque frequenter accidit, ut executores ad hoc destinati, manus nonnunquam temerarias, sed etiam sacrilegas ad res alias morientium extenderent et ex eo non modicum Ecclesia Dei scandalum incurreret et detrimentum. Nos igitur benigniori quadam consideratione libertatem Cleri ampliare potius, quam restringere volentes, nolentes etiam et occasione modici questus, qui nobis vel successoribus nostris ex eo posset provenire, Clerus noster tam onerosa de cetero servitute prematur, presenti scripto, cum totius Ecclesiae nostrae consilio statuimus, ut nullus de cetero Episcopus Canonicorum suorum in quacunque Ecclesia, in Osnabrugensi Episcopatu, decedentium, per se ipsum vel per alios exuvias recipiat, sed quivis eorum tum de equitaturis et vestibus quam de rebus aliis liberam habeat pro voluntate sua in lecto egritudinis disponendi facultatem. Aliarum etiam Ecclesiarum nobis adiacentium imitari volentes, statuimus, ut Archidiaconi nostri, quos in partem nostre vocavimus sollicitudinis, per quos et subditorum nostrorum merita vel excessus intelligere possumus, curam animarum et altaria in omnibus Ecclesiis Episcopatus nostri Clericis porrigant instituendis, sive sint pastores sive vicarii perpetui qui fuerint instituendi.* Deinde non solum canonicorum proventus auxit, sed etiam ecclesiae Osnabrugensi plurima bona ac possessiones comparavit.

Praeter virtutes alias refulgebat in eo insignis modestia, humilitas profunda, charitas indefessa, benignitas erga subditos, liberalitas erga egenos, munificentia et misericordia erga afflictos; neque ullum efferebat se tam pestilens morbi genus, quod illum retrahere ab hominum infirmorum accessu ac visi-

Digitized by Google

tatione posset. Praecipue memoratu dignum est, quod de ea re refert Crantzius: Ad vicum Mersumensem (Mersum) itinere Osnabrugum inter et Forstenaviam paene medio iacebat in vili tuguriolo vir leprosus, quem beatus praesul, quotiescunque ad arcem Forstenaviensem iter faceret, digressione capta solebat invisere, propositaque Christi patientis memoria ad crucem suam pie fortiterque perferendam frequenter excitare. Forte accidit, ut paulo longius subinde traheretur haec allocutio quam comitantium ministrorum patientia ferre posset: ideoque collatis inter se consiliis hominem secreto de via submovent, ne in posterum ab huiusmodi molestis accessibus in itinere suo morarentur. Post tempus aliquod, cum iterum per eandem regionem transirent, Adolphus pro more suo tugurium repetit; et ecce! vir leprosus, quem fallaciae et fraudes ministrorum pridem e casa sua subduxerant, iterum consueto loco considet, episcopo pro inculcatis tam crebro salutis aeternae monitis gratias immortales agit, eiusque alloquio et consolatione plurimum se profecisse confidens, momento temporis exspirat, relictis post se tam singularibus suae sanctitatis indiciis, ut ministri omnes facti praesentis novitate perculsi fraudem a se commissam magnis doloribus deplorarent.

Mortuus est s. Adolphus die XI. Februarii anno MCCXXIV., sepultusque Osnabrugi in ecclesia cathedrali, ubi ab antiquis temporibus tanta semper in veneratione habebatur, ut teste Crantzio nullus unquam eius sepulcrum pede inhonorare auderet, quin eodem etiam die egregiam sui confusionem et ignominiam ab aliis reportaverit. Sacrae eius exuviae anno MDCLI. die II. Decembris a Francisco Wilhelmo, Osnabrugensi Episcopo, elevatae sunt, et in ecclesiae cathedralis sacrario reponi iussae, ubi adhuc magnis honoribus asservari dicuntur. In lapide, qui eius sepulcro impositum erat, leguntur haecce: *S. Adolphus, confessor XXVIII. huius ecclesiae Episcopus hic anno Christi MCCXXIV. sepultus fuit, cuius reliquias sacras in sacrarium transtulit Franciscus Wilhelmus, huius sedis Episcopus, die X. Decembris MDCLI.* Eidem sancto applausit olim Athenaeum Christianum urbis Osnabrugensis, in quo Musae Carolinae hoc ei cecinere carmen:

Digitized by Google

Magna superbifici linquens palatia mundi
Cur humiles lustras, praesul Adolphe, casas?
Horrida squamosae quid adire mapalia leprae,
Quid tot aves miseris gaudia ferre codris?
Sordibus in tantis! quid quaeris maxime praesul?
Nescio, ni gemmas quaeris amando animas.

Digitized by Google

XXXV.

B. Reynerus,

solitarius Osnabrugensis.

Refertur cum titulo beati a Papebrochio ad diem XI. Aprilis, a Gelenio in fastis, a Molano, ab Haraeo, a Canisio denique ad eundem diem, qui ita scribit: *Item selige Gedaechtnuss des Einsiedlers Reyneri, welcher in der osnabrückischen Kirche eingeschlossen, auch im Leben und Wunderwerken gar fürtrefflich leuchtete.* Cum titulo sancti refertur a Cratepolio, a Ferrario in catalogo gen., a Wernero Rolevinckio l. III. *In Osnabrugis*, inquit, *s. Reynerus solitarius infinitis miraculis coruscans.*

Descriptio eius vitae, quam infra dabimus, composita est partim ex ea, quae est apud Papebrochium l. c., partim ex aliis antiquissimis manuscriptis, authenticisque documentis ecclesiae cathedralis Osnabrugensis. Non fuit natione Westfalus, sed oriundus ex Frisia occidentali non procul ab urbe Groninga. Cellulam vel clusorium, quod vocant, suum habuit Osnabrugi ad portam maiorem ecclesiae cathedralis, ubi inclusus vixit annis viginti duo. Eum obiisse constat die XI. Aprilis; de anno vero eius obitus controversia est, neque quidquam de eo certi potest dici, quam eum esse mortuum circa annum MCCXXX.

Sacra eius ossa anno MCCCCLXV. a Conrado II. episcopo, comite Diepholdiano elevata, atque apud altare b. Virginis ad latus meridionale chori in muro collocata sunt, ubi etiam nunc requiescunt. Appensum est desuper eius cilicium adinstar togae, ex filis ferreis reticulatum, fundatumque est simul perpetuum lumen ad eius honorem et populi devotionem. Haec referenda sunt in tempora P. Struncki; quomodo hodie hae res se habeant, nescio.

Nihil b. Reynerus a puero antiquius habuit, quam deum quaerere et illi morigerum servum perpetuo se offerre. Natus

Digitized by Google

est in occidentali Frisia non procul ab urbe Groeningensi. Inde virilibus annis Osnabrugum veniens et flagrans ardentissimo vitae solitariae desiderio, tandem post varias preces ab Gerhardo, Osnabrugensi episcopo, inclusus est angustae cuidam caveae, quae ad ostium ecclesiae maioris constituta aliquem ad altare ac res divinas prospectum dabat. Tanta vero ardore devotionis in hoc antro a turbis hominum seiunctus vixit, tamque severo ac pertinaci odio se ipsum et carnis perituae membra insectatus est, ut verissime usurpare posset illud apostoli: *Nostra conversatio est in coelis.* (Ad Philipp. 3), et illud: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* (II. ad Cor. 4).

Ad nudam carnem ferebat semper loricam militarem, et super hanc rude cilicium villis asperis grossisque horridum, quod interius cutem omnem, si quae illius pars ab hac lorica immunis esset, molestissimis punctionibus continuo fodicabat. Utrique superimminebat iterum textum aliud magni ponderis e catenis ferreis ad modum alicuius retis cancellatum, atque iterum grossiore panno informis tunica, idcirco solum oneribus ceteris superiecta, ne tam insolitus rigor et afflictandi corporis instrumenta oculis omnium manifesta fierent. Eadem asperitate utebatur in membra alia: collum, brachia, pectus, crura singula suas habebant catenulas; imo vix ullus erat pedum digitus, qui non esset certis constrictus annulis, sive e ferro, sive ex seta pilove cilicino contextis. Eas vero sui corporis partes, quae ad excipiendos flagellorum et verberum ictus magis comparatae sunt, nodosis loris tanta caedebat inclementia, ut excussi sanguinis copiosus imber dirupta cute per tergum iret. Rogatus, cur tam severum tortorem sui et carnificem suae carnis tam ferocem ageret, hoc solum responsi dabat: *Sicut dominus noster Iesus Christus in omnibus suis membris passus est pro me; ita et ego in omnibus membris meis pati cupio, et dolorem ferre.*

Nunquam vescebatur carne aut lacticiniis, quantumvis gravi infirmitate pressus esset; nunquam aliquid piscium in cibum adhibebat, nisi ad summum diebus praecipuis anni festis, idque non aliter tamen, quam ex consilio illius sacer-

Digitized by Google

dotis, cui conscientiae suae rationes solebat aperire. Dies dominicos, itemque feriam tertiam et quintam transigebat in pane et oleribus: feriam secundam, quartam et sabbathum in solo pane et cerevisia tenui: feriam sextam, itemque vigilias sanctorum et quatuor tempora in pane et aqua tantum. Recitabat quotidie praeter horas canonicas officium de s. spiritu, de b. Maria V. aliasque orationes plurimas pro vivis ac defunctis; quibus evolvendis tantum insumebat temporis, ut etiam aestivo tempore vix aliquid superesset otii, quo cibum caperet. Somni erat omnino brevis: lectum praebebant transversa aliquot ligna cum stramine instrato; pro pulvinari erat truncus eum in modum excavatus, ut immissum caput non tam caperet, quam constringeret. Etiam cum afflicta esset valetudine, vix ab eo, qui confitenti peccata aurem dabat, ad hoc induci potuit, ut infirmo capiti nonnihil straminis pateretur subiici. Silentii tenacissimus, nunquam ad sermones cum aliis faciendos laxabat linguae vincula, nisi diebus duntaxat iis, quibus solennior cultus ab ecclesia adhiberi solet. Quae autem his temporibus loquebatur, erant fere de rebus iis, quae ad salutem faciunt, de iudiciis divinis, de ardore devotionis, de vanitate mundi, brevitate vitae, contemptu omnium terrenorum. De rebus aliis, quarum nullus ad pietatem usus erat, sermonem non admittebat, veritus tribunal illud, ubi etiam de otioso verbo rationes exigentur.

Si quid ad vitae necessitatem subinde poscendum erat, haud aliter fere indicabat, quam per nutus et signa: quae cum nemini aut certis paucis explorata essent, accidebat non raro, ut rebus necessariis destitutus, dies aliquot sine omni cibo et alimentis transmitteret. Nunquam in vera dicendo timidior fuit: omnium, qui ad alloquium venerant, errores et vitia audacter perstringebat, ea tamen modestia ac simplicitate, ut horum plurimi tam verbo quam exemplo moniti, vanitatem ponerent atque ad sanctioris disciplinae leges vitam reliquam coercerent. Animum innocentem, cui noxarum nihil nisi adinstar levis pulvisculi poterat adhaerescere, sacra exomologesi expiabat omni feria secunda, quarta et sexta, multoque sollicitius diebus dominicis ac festivis, quibus coelestem divini corporis panem summa capiebat reverentia ac devotione.

Digitized by Google

Diebus vero, qui eiusmodi festa praecurrebant, partim genibus, partim toto corpore provolutus humi, supra modum se fastigabat precibus trecenties ad coelum fusis. Quamquam autem ex immodica hac pressura sic suos afflixisset poplites, ut paulatim corrupta carne infestis tumoribus suppurarent, non ideo tamen ab ista genuflectendi consuetudine quidquam discedebat; ratus forsitan, satius sibi fore, purulentis genibus ad coelum adreptare, quam iisdem sanis et integris in ignes aeternos deiici.

Inter haec aliaque sanctitatis exercitia quamquam optime semper ad mortem comparatus esset, peculiari tamen revelatione de ea praemonitus, claustrum suum post aliquot aegritudinis toleratae dies aperiri passus est, acceptoque s. eucharistiae et extremae unctionis sacramento, inter adstantium clericorum et religiosorum preces piissime exspiravit die XI. Aprilis, postquam annos viginti duos in eo vivendi genere consumpsit. Mortem eius continuo subsecuta sunt prodigia et morborum curationes plurimae. Canonicus quidam Osnabrugensis ab acutissimo dolore dentium, priorissa Querenheimensis a calculo, comitissa Benthemensis a diuturna ac fatali tabe, Arnoldus ab Icker parochiae Bellemensis e venenato serpentis morsu, monialis quaedam ex ordine s. Bernardi, conventus Hastensis, qui postmodum translatus est in Rulle, ab acu per incuriam deglutita, puer quidam ex parochia s. Ioannis a morte inter aquas hausta, alii a malis et discriminibus aliis eius patrocinio feliciter liberati sunt, uti videri potest partim in eius vita apud Papebrochium, partim ex aliis manuscriptis et documentis ecclesiae cathedralis Osnabrugensis.

Digitized by Google

XXXVI.

S. Meinwercus,

episcopus Paderbornensis decimus.

Refertur cum titulo *sancti* ab Aegidio Gelenio in auctuario historiae s. Engelberti p. 352, 355, 358, et in fastis sacris Agripp. ad diem V. Iunii verbis hisce: *Eodem die sancti Meinwerci, episcopi Paderbornensis, oriundi ex provincia Clivia et Teisterbantia;* cum titulo *beati* a Papebrochio in actis sanctorum ad diem eundem, a Theodoro Rhay, a Christophero Brovero, Overhamio in notis ad eius vitam, ac denique in ordine serieque episcoporum Paderbornensium anno MDCLXXXVIII. auctoritate Hermanni Werneri impressa et synodis provincialibus ab eo habitis praemissa.

Vitam s. Meinwerci inchoavit quidem P. Struncius, sed quartam tantum eius partem perscripsit, qua de causa vitam s. Meinwerci in hoc volumine praetermittendam esse exsistimavi. Exstat enim eius episcopi vita longior, conscripta medio saeculo duodecimo in monasterio Abdinghofensi, quae inter libros, qui res saeculi undecimi Saxonicas tractaverunt, haud ultimum locum obtinet. Haec autem *Vita s. Meinwerci* et *Translatio reliquiarum s. Liborii*, exeunte saeculo nono composita, vetustissima sunt rerum Paderbornensium monumenta. Quapropter hos duos libellos commentario illustrare atque integros edere constitui, ita ut tertium Westfaliae sanctae volumen efficiant.

Digitized by Google

Vitae virorum venerabilium,

conscripsit

Ioannes Kloppenburg,

soc. Jesu sacerdos.

1.

Ioannes Sewaldi,

prior Boedecensis.

Monasterium virginum canonicarum Boedecense, circa medium saeculum nonum a sancto Meinolpho constructum, ineunte saeculo decimo quinto iacebat per multos iam annos vastum desertumque ab ipsis virginibus et clericis. Ut sancti fundatoris cultus ibi continuaretur atque monasterium collapsum e ruinis resurgeret, Guilelmus, episcopus Paderbornensis, idem viris religiosis ex instituto s. Augustini, qui eo tempore florebant, tradere constituit. Quare anno MCCCCVIII. illum locum eius familiae religiosis, Zwollis evocatis, excolendum obtulit.

Primus huius monasterii Prior fuit *Ioannes Sewaldi,* Noviomagensis, anno MCDX. electus, vir omni laude extollendus; qui sibi dictum illud s. Bernardi ad fratres de monte dei, *Ex vobis et vestro exemplo, et vestra auctoritate in religione haec tota debet pendere posteritas,* alte impressum, ut in opus deduceretur, serio contendit; humili namque sua con-

Digitized by Google

versatione omnium in se animos convertebat. Cum aliquando frater quidam viae socius pallium eius ferre vellet, *Mi fili,* inquit, *propriam crucem ipse feram.* Vilissima quaevis monasterii opera subibat: bubulcis et subulcis, fabro item et carpentario in suis, ubi opus erat, officiis, nonnunquam praesto erat, ut ita alios ad iucundam eorum imitationem pie pelliceret. Paupertatis canonicae rigidissimus sectator necessaria sibi propter deum subministrari semper rogare solitus, et si quid ab eo petebatur, amore dei mox impetrabatur. Cum eum pecunia in causis monasterii iter facientem aliquando deficeret, panem ostiatim mendicare ad ruborem licet sui socii non recusavit.

Ordinaverat etiam ut ab omnibus strictum observaretur post completorium silentium, necessitate tamen sic ferente, ipse prior in vigilia nativitatis dominicae cum fratre quodam super necessitatibus monasterii deliberaturus sermonem contulerat: at subito intra se reversus ait ad fratrem: *Scis frater, quid fecerimus? imposui meis silentium, et ecce primus ego huius praecepti transgressor factus sum, oportet ut poeniteamus;* et ipso nativitatis die, fratre nequidquam factum hoc excusante, strictam in pane et aqua cum socio suo egit poenitentiam, singulari omnium admiratione. Vere gregis in omnibus erat exemplum: in se severus nunquam lecto utebatur, sed nuda super humo cubabat, vestibus ad repellendum frigus destitutus, tenerrima eius membra (praedivitis enim familiae erat filius) ita gelu nonnunquam stringebantur, ut fratres saepissime in compassionis lacrimas solverentur. Nunquam vel minimum impatientiae signum prodidit. Audito, a comite Waldeccensi spoliatum monasterium omnibus pecoribus, dixit, caput inclinans: *Bene est, manducent spiritum sanctum in his pecoribus, quae nobis abstulerunt.*

Cum fames sub idem tempus in dioecesi Paderbornensi grassaretur, copiosa semper hominum multitudo, cum liberalitas eius prioris fama vulgata esset, confluebat ad monasterium, panem petens, cumque is omnibus et singulis promptissima sane manu ministraret, providus, ut sibi videbatur, monasterii procurator, siliginem aliquoties mensurabat, notare volens, quantum adhuc possent elargiri, ne tamen ipsi inopia

Digitized by Google

premerentur. Quod cum animadvertisset prior, severe procuratori suo interdixit, ne deinceps dominum tentando siliginem mensuraret, sed ipsius bonitati et providentiae sese totum committeret. Quid fit? cum praedicto famis tempore paucissima in granario essent frumenta, vix fratrum usui necessaria, ea tamen ita multiplicata inveniebantur, ut quamvis ultra trecentos quotidie reficerentur, nunquam tamen inde deficerent, sed cumulus usque ad novam messem in suo vigore permaneret integer.

Manum item cuiusdam conversi ex arboris caeducae casu contritam, fusis ad deum precibus, illico restituit. Item alius ex culmine acervi foeni in acutum cadens lapidem, ita ut effuso sanguine vel exanimis, vel mortuus putaretur, a priore precibus omnipotenti recommendatus, illico surrexit, sine ullo apparentis laesionis signo, et ad pristina se recepit opera. Cum novae structurae fieret initium et notabilis progressus accidit, ut currus onustus lapidibus in superficie montis, equis subito timore perculsis quaqua currentibus et iuvenem XIV. annorum excutientibus, ambos eius pedes, cum deorsum rueret, pertransiret eosque comminueret; iuvenis sic fractis pedibus currui imponitur, ad monasterium ducitur; venerabilis prior spe et fiducia erga sanctum patronum Meinolphum plenissimus, flexis genibus iuvenem brachiis imponit, et ante altare eiusdem sancti deum enixe rogat, ut per intercessionem s. Meinolphi, cuius honorem ampliandi gratia monasterium hoc erigi deberet, laesum hunc pristinae sanitati restituere dignaretur; quo peracto, iuvenis statim loqui coepit et inclamare: *Nihil mihi deest,* et ita plane restitutus abivit. Ceterum huius potissimum prioris opera factum est, ut monasterium brevi tempore restitueretur magnumque ad florem perveniret.

Digitized by Google

II.

Casparus Ulenbergius,

Lippstadiensis.

Die XIV. Kal. Martii, anno MDCXVII. ex hac mortali vita ad immortalem transiit in urbe Coloniensi vir praeclarissimus Casparus Ulenbergius, ss. theologiae Licentiatus, Gymnasio Laurentiano duos et viginti annos praefectus, et ecclesiae s. Columbae pastor, expleto anno aetatis octavo ac sexagesimo, mense insuper uno, diebus quatuor ac decem. Sepultus est in monasterio virginum, cui ab Agnello nomen, monumento marmoreo terrae superimposito. Post triennium corpus omnino integrum suaviterque spirans, eo modo, quo tumulo illatum fuerat, inventum est, ne linteis quidem consumptis.

Facundiam, catholicae religionis propagandae ardorem, pietatem, sobrietatem, beneficentiam in quosvis, ac ceteras praestantissimas virtutes integerrimi sacerdotis peculiari libro complexus est eius popularis atque alumnus Arnoldus Meshovius, ut proinde actum agere videar, si hic repetam. Inter illustres certe viros eius comprimis memoriam veneratur Agrippina. Patriam habuit Lippstadium, ubi sicut vitam, ita et hauserat haeresin, quam postmodum, in Ubios feliciter translatus, ubi evomuisset, omnibus deinceps viribus ut pestem exitialem oppugnatum ivit, ac pluribus pariter abstersit.

Praeter opuscula nonnulla inedita supersunt nobilis ac foecundi ingenii partus latina biblia translata in sermonem germanicum; *Causae duodecim, cur detestanda haeresis atque amplectenda catholica religio; Consolatio aegrorum; Vita haeresiarcharum Lutheri, Melanchthonis, Maioris, Illyrici, Osiandri.* Reliquorum eius operum catalogus est apud Meshovium.

Digitized by Google

III.

Ioannes Scoeperus,

Tremoniensis.

Anno MDLVI. die IV. Decembris Tremoniae defunctus est eiusdem urbis civis Iacobus Scoeperus, vir pietate, doctrina, et sacra eloquentia insignis, pastor in aede divae virginis; quo vivente, et ferventissimis assiduisque concionibus propugnante avita dogmata, simul collaborante catholico magistratu, virisque patriciis, civitas Tremoniensis in fide maiorum inconcussa stetit, paulo post, deficientibus huiusmodi columnis, misere collapsa est. Edidit Scoeperus *Institutionis christianae summam, Postillam in evangelia et epistolas per annum,* quam in tres partes divisam, emendatius in lucem evulgavit una cum ceteris Ioannes Seuastes, scholae Tremoniensis quondam moderator, vir minime vulgari eruditione, et pari pietate pollens. Scripsit praeterea *Euphemum poema:* comoedias item et tragoedias sacras, inter quas *Ioannes decollatus,* et *Monomachia Davidis et Goliae tragicomoedia,* quae posterior cum in indice librorum prohibitorum infausto calculo notetur, qui viri in religione sinceritatem norunt, id vel inadvertentiae, vel depravationi haereticorum adscribunt. Collegit denique *Synonyma germanici superioris idiomatis,* in quibus exuberantem eorum copiam et proprietatem in homine Westfalo illius idiomatis periti suspiciunt.

Digitized by Google

IV.

Ioannes Gropperus,

Susatensis, Cardinalis.

Ioannes Gropperus, religionis catholicae propugnator invictissimus, natus est Susati inter Westfalos mense Februario anni MDII. Pater eius, urbi Susatensium praefectus, quippe qui ab erroribus a Luthero dispersis quam maxime abhorreret, Susatum reliquit, postquam plurimi eius urbis cives ad Lutheri partes transierunt, atque Coloniam Agrippinensem se contulit. Quare filius eius Ioannes in scholis Coloniensibus litteris imbutus est, et Gymnasii studiis absolutis in Academia Coloniensi doctoris iuris canonici gradum impetravit. Cum vero non solum doctrina atque sapientia, sed etiam vitae integritate excelleret, archidiaconalis ecclesiae Bonnensis praepositus factus est.

Neque tamen diu hoc munere functus est; nam Hermannus, archiepiscopus Coloniensis, eum ad aulam suam arcessivit eiusque opera utebatur ad gravissima negotia, quibus de religione in dioecesi Coloniensi conservanda quam optime meritus est. Namque non solum verbis et scriptis contra eos, qui ab ecclesia catholica defecerant, acerrime pugnabat, sed etiam archiepiscopo Hermanno, ad causam reformatorum acclinanti, pro viribus adversabatur. Anno MDLI. interfuit concilio Tridentino dieque festo Epiphaniae coram patribus concilii orationem habuit. Coloniam reversus effecit, ut Gymnasium quod Cucanum vocabant, patribus societatis Iesu traderetur, quos iam antea pecuniis consilioque adiuverat. Denique om-

Digitized by Google

nibus viribus contendit, ut religio catholica conservaretur, augeretur, stabiliretur.

Neque huius viri admirabilis doctrina, vitae morumque integritas, sapientia, neque summa eius de ecclesia merita fugerunt pontificem maximum Paulum IV. Itaque Gropperum die XVIII. Decembris anni MDLV. in collegium patrum purpuratorum recepit. Gropperus recusavit quidem istos honores, cum vero pontifex nihilominus urgeret eiusque adventum sollicitaret, ille tandem itineri se commisit et die XXVI. Augusti anno MDLVIII. Romam pervenit, „ibique in summa doctrinae prudentiaeque existimatione versabatur, praesertim super Germaniae negotiis, in quibus eum nemo experientia aequabat.“[1]) Quare cum eius iudicium peteretur in causa Ferdinandi Imperatoris, unus ipse invicta animi constantia pro Ferdinando stetit, dixitque in concilio publico, imperatorem alium in praesenti rerum statu eligi nec posse nec oportere, nisi pontifex totam Germaniam contra se vellet commovere.

Haec et alia offenderunt alios Pauli IV. consiliarios, ita ut primum obliquis oculis eum intuerentur, deinde accedentibus malevolorum accusationibus doctrinas haereticas eius libris inesse dictitarent. Facillime quidem Gropperus huiusmodi maculam se abstersit, dum vero se purgat et invidiosis huiusmodi litibus conflictatur, ex moerore animi in febrim quartanam incidit et die VIII. Martii anni MDLIX., extremis ecclesiae sacramentis rite praemunitus, innocentem animam exspiravit. Mortui facies multo quam viventis venustior ac pulchrior omnibus admirationem peperit.

Corpus eius honorificentissime Romae humatum est in templo Germanorum ad pedes Hadriani VI. pontificis, et ipse Paulus IV. pontifex, ut eiusdem pios manes ab omni falsae suspicionis macula purgaret, ei habuit laudationem funebrem, inter alia dicens: *Dominum Gropperum nequaquam amisimus, sed praemisimus.* Et sane vir fuit Gropperus non modo egregiae doctrinae, sed etiam eximiae morum integritatis, insignis pietate in deum, et in pauperes beneficentia, studioque conservandae ac propugnandae religionis avitae, ab omni mu-

[1]) Pallavicini, Hist. cons. Trident. XIV. 6.

Digitized by Google

lierum cohabitatione alienissimus. Lindanus, episcopus Ruremundensis, vir gravissimus, dicit eum ingenio acutissimum, iudicio acerrimum, excellentissimum dicendi peritia, vitaeque purissimae longe fuisse integerrimum. Vitae summam exhibet, quae illi Romae posita est, inscriptio sepulcralis in ecclesia s. Mariae de anima.

Domino Ioanni Groppero, religionis fideique catholicae propugnatori acerrimo, post incredibiles labores summis cum periculis pro ecclesiae ac religionis catholicae conservatione magno semper et invicto animo exantlatos, multaque praeclara literarum monumenta edita, ob perpetuam fidei pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam, summasque virtutes, absenti nec quicquam minus cogitanti in sacrum R. S. E. Cardinalium collegium cooptato, praematura adhuc morte, quando sui opera inprimis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri piissimo atque optime merito Godefridus et Casparus fratres Gropperi moestissimi posuere. Vixit annis LVII., diebus XVIII. Obiit III. Idus Martii, anno MDLIX. [1])

[1]) Vitam Gropperi accuratius atque copiosius perscripsit eiusque opera recensuit Meuser, in actis: *Kath. Zeitschrift, redigirt von Dr. Dieringer, Köln*, 1844. II. p. 183—212, 366—399.

Digitized by Google

V.

Ioannes Arnoldi,

Warburgensis soc. Iesu sac.

Inter primos collegii Verdensis, ab imperatore Ferdinando II. in Saxonia inferiori constituti, incolas fuit P. Ioannes Arnoldi, Warburgi ad Dimolam natus, vir vasti animi et indefessi laboris; qui catholicis sacris viciniam procurans, ternas simul parochias administrandas eo tempore suscepit. Et licet valetudinis esset tantum non prostratae, obibat tamen sedulus loca sibi credita, nec hiemis rigore, nec aestus intemperie deterritus, quo minus itinera difficillima, hostibus fidei et supremis periculis refertissima, alacri animo percursaret. Et quamvis experimentum eorum, praesenti vitae discrimine, luculentum aliquando coepisset, glande plumbea pileum ab insidiatoribus traiectus, nunquam tamen idcirco retineri domi passus est, donec apostolicorum laborum promissum a deo stipendium consecutus est mortem pro Christo.

Inclinatis namque in Germania, accepta ad Lipsiam clade, fidei catholicae rebus, cum salutem fuga non ecclesiastici dumtaxat et religiosi ex suspectis urbibus, sed ipsa etiam principum catholicorum praesidia quaererent, atque adeo destituta milite Verda hostium direptioni et iniuriae pateret; fugae tamen consilium veluti turpe aspernatus P. Ioannes, remanere cum iis, quos in fide instituerat, neque omni sacramentorum praesidio destitutos hosti obiicere constituit. Dum itaque more pristino parochias sui securus procurat, et festo s. Martini divinis Vissehofdae peractis in vico haud ita procul a Verda sito, solus in curru aurigante puero revehitur, repente inter-

Digitized by Google

ceptum haereticorum paganorum occupat manus, violenter curru detrahit, terrae afflictum crudeli fustuario excipit, tantumque non eliso clava cerebro exanimat. At ubi respirare eum seque colligere, et coelites oculis ac voce in auxilium vocare vident, novo furore incitati semianimem corripiunt, atque ad arborem alligant, cui unus ceteris perditior, iugulum ferro petit, praecisisque faucibus impia crudelitate oggerit: *Hoc ore posthac, si potes, tuum illud* „Dominus vobiscum“ *inculca.* Inter quae bonus pater fidelem domino suo animam reddidit die XI. Novembris anno MDCXXXI.

Digitized by Google

VI.

Mauritius de Büren,

Soc. Jesu.

P. Mauritius de Büren, ultimus vetustissimi stemmatis sui nobilis dominus ac baro in Büren et Ringelstein, dominus in Volbrexen et Geist, camerarius Imperatoris et consiliarius, atque imperialis camerae Spirensis laudatissimus praeses, denique factus est anno MDCXLIV. societatis Iesu socius; cum eam quadriennio ante omnium suorum dominiorum haeredem scripsisset, et adolescens anno saeculi huius vicesimo quinto Romae a praeposito Generali S. J. Mutio ardentissime flagitasset, dilatus ob immaturam de bonis suis dispositionem. Natus est in arce sua Bürana, sita in dioecesi Paderbornensi, die XII. Februarii anno quarto, haereticis parentibus, patre domino Ioachimo nobili domino ac barone in Büren et Ringelstein, dynasta Dedinghusano, matre domina Elisabetha de Lohe, Geistanae domus haereditaria, quae marito praemortuo, societatis Iesu opera fidem orthodoxam complexa est, annitente domino Arnoldo ab Horst, cognato suo, et maioris ecclesiae Paderbornensis decano; cuius etiam tutelae potissimum debetur, quod filius, etsi patrinos nactus erat Mauritium Hassiae Landgravium et Ioannem Nassaviae comitem seniorem, studiosissimos Calvini sectatores et patronos, in societatis Iesu Gymnasiis, Paderbornae primum, dein Coloniae (ne forte per insidias a propinquo in Hassiam abriperetur) pientissime educatus est, eximio literarum pariter ac virtutum cultu: nulla in animum admissa iuvenili corruptela, ne tum quidem, quando ad cognoscendos exterorum mores ac linguas,

Digitized by Google

discendaque equestria exercitia, Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam et Belgium longis itineribus obivit: vitavitque postea in maturiore aetate tam sollicite, ut in summa bonorum honorumque affluentia, nullo se unquam graviore naevo infecisse testentur plures conscientiae eique arbitri, docentque abunde inventae post mortem chartae, quam se vigilate contra quaecunque vitia, sed praesertim carnis illecebras munierit, servaritque, oblata deo, a primo adolescentiae flore et constanter retenta, nunquam propagandi stemmatis sui, voluntate, quamvis stemmatis sui ultimus esset, saepeque inter cognatas feminas necessario versaretur, nec raro ad diversas primarii nominis lautarumque rerum nuptias ambiretur.

Quae eius virtus, quamvis per se ipsam eximie fulgeret, mire tamen illustrata est, valideque roborata a primo in societatem Iesu ingressu; quando mox a multis simul praepotentibus adversariis certatim impeti coepit, ac vehementer in fama aeque ac bonis suis exagitari, sane ingentibus persecutionum procellis. Quas inter ipse per omnem religiosam vitam ita duravit, ut licet omnibus suis dominiis et possessionibus eiectus sit, spem tamen nunquam posuerit, ea iure recuperandi, et societati, quod semper unice spectabat, transscribendi: deo nisus, et causae bonitati iustitiaeque, cuius cursum acriter persequebatur, confidens. Nunquam solitus adversariorum suorum acta vel ipse severus censere, vel alios gravius censentes audire. Excusabat potius omnia, et quantum poterat, humanis erroribus imputabat.

Fuit cum ex magno et per hiemem difficili asperoque itinere Geistanam domum suam profundo vespere subire vellet, et a propriomet vitrico, qui forte a ministris nihil doli aut mali subverentibus, amice in eam, ut solebat, pridie admissus erat, propriis foribus excluderetur, ne tantillum quidem progredi permissus, ubi ex arcta et densis nivibus oppleta via vel currus ad reflectendum iter converteretur; quando se sociumque istis apostoli verbis: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis*, prompte etiam consolatus est.

Paupertati deditus ita erat, ut in victu, vestitu, cubiculo, lecto, libris et coronis precatoriis, ceterisque corporis necessitatibus religiosa simplicitas eluceret. Utebatur prae aliis

Digitized by Google

crassissimae telae indusiis, quae carnem simul afflictarent. Veste interiore ferme semper obsoleta, multis locis rupta, et quomodocunque resarta; exteriore vero tamen religiose simplici, ut aureis quatuor non aestimaretur. Et tamen ad conflandam invidiam apud magnates ac principes viros, etiam Romam usque traductus est, ac creditus, quod toga holoserica vestiretur.

Prosequebatur tenero amore et cultu in primis sanctam Christi servatoris nostri crucem; quam ut subditis suis aliisque ingeneraret, suscitavit proxime Burenam una cum dolorosis eius stationibus perinsigne sacellum, tum deinde beatissimam virginem immaculate conceptam, erecto in eius honorem Burensi in templo praeclari operis maiore ara, ac fundato in perpetuum viginti quinque thalerorum imperialium censu, inter affluxores ad eam solennitatem sacerdotes atque egenos quotannis dispertiendo, proximeque post ss. angelos, quorum litanias nullo non die ex contrito assiduo usu libello recitavit, s. Ignatium, cuius festum advocatis aliunde sacerdotibus ac musicis praecipuo ritu etiam saecularis celebravit; atque ut alios taceam, etiam sanctae memoriae Cardinalem Bellarminum, quo invocato ac singulariter patrocinante, sicut aliquoties se ex periculosissimis planeque desperatis vitae casibus prodigiose ereptum fuisse confitetur in testamenti sui tabulis, ita in liberationis huius memoriam centum argenteos coronatos Romam honorando sui liberatoris sepulcro voti reus transmisit, et si quando inter divos referatur, etiam altare per haeredes erigendum devovit.

Incredibile plane est, quanto post hos aliosque coelites societatem Iesu amore studioque amplecteretur, dolebat intime, si qui vel male de ea loquerentur, et multo maxime, quando ab aliquibus de societate, pro qua ipse tam multa ac gravia sustinebat, quoquo modo impediebatur, quo minus in eam universa sua bona transferret: cupidissimus, ut iis in locis per S. I. socios deus religiose coleretur, ubi maiores quidam sui nequidem catholice vixissent. Ceterum ut nihil memoretur de profunda eius humilitate, qua aliquando, cum de se alicubi in episcopum eligendo a nonnemine mentionem illatam fuisse intellexisset, adeo totus inhorruit, ut datis illico ad

Digitized by Google

vicinum principem ecclesiasticum gravissimis literis dolenter conquestus sit, illud se et societate omnino insciis actum fuisse, demisseque rogarit, ut pro ea qua pollebat auctoritate, apud alios testari dignaretur de hac sua iam ignoratione atque innocentia; id quod ipse tam ample promisit, ut se vel iurato asserturum fuisse, etiam non acceptis his literis rescripserit. Neque quidquam item de prolixa in pauperes beneficentia, decretis inter eos ad praecipuas anni celebritates, festosque B. M. Magdalenae et sancti Ignatii dies, sed etiam per singulas adeo hebdomades statis in futurum magnis eleemosynis. Ut nihil etiam dicatur de restituto per illum et aucto alieno cultu, erectis compluribus aris, procurato diversis locis templorum ornatu, reliquisque raris virtutibus, cum post optatam omnium suarum possessionum recuperationem, gravem quoque cum proximioribus agnatis litem finivisset, totusque iam ferretur ad amice componendas novo cum principe et capitulo Paderbornensi Buranae domus controversias, repente ex hac mortalitate decessit, calculo renum, quo fere perpetuo affligebatur, praecipue colluctatus, ipso die sancto Engelberto, Coloniensi archiepiscopo et martyri, consanguineo suo sacro, quem praecipuo cultu venerabatur, die VII. Nov. anno MDCLXI; cum vix paucis diebus constanter decumbens errata sua saepius expiasset, devotissime invocatis, et identidem repetitis dulcissimis Iesu et Mariae nominibus, interque ferventer imploratam ss. angelorum aliorumque patronorum opem illa Davidis verba: *Cor contritum et humiliatum deus non despicies,* ingenti cum affectu ingeminasset.

Nos vita eius pientissime exacta dubitare non sinit, quin duorum societatis Iesu domiciliorum munificentissimus fundator, et plurium, Coloniensis, Spirensis, Aschaffeneburgensis, et Coesfeldensis, itemque nobilium adolescentum in urbe Monasteriensi seminarii magnus inprimis benefactor, coelo sit receptus, et divo Ignatio inter beatos eius filios aggregatus.

Digitized by Google

VII.

Iodocus Thorwesten,

soc. Iesu sacerdos.

Iodocus Thorwesten, natus anno MDLXXV. in pago Stukenbrock, ad S. J. admissus est a. MDXCIX. Humanioribus docendo absolutis, theologia morali audita, et peracto tertio probationis anno, ministri et procuratoris offĭcia in seram usque senectutem sedulo cum laude obivit. Vota coadiutorum spiritualium anno MDCXXIV. emisit. Vir erat multae orationis et mortificationis, in se ipsum severus, in alios mire benignus, praesertim in aegros et pauperes; ad hos iuvandos singulari cura et industria ferebatur, huc omnes cogitationes viresque videbatur impendere, imo et vitam; quod patuit tum Düsseldorpii sociis societatis Iesu peste correptis sollicite serviendo: tum Vechtae, ubi viscera caritatis et miserationis dilatavit, omnibus contagio epidemico infectis omnia factus, animarum corporumque sedulus curator; his enim coquebat, his medicamenta praeparabat, sibi alimenta subtrahens, ut miseris illis subministraret, ipse cocta aqua cum herbis victitans; quin vini mensuram, quam in dies per loci curatorem ei dandam serenissimus elector Ferdinandus assignaverat, aegris distribuebat, nunquam vel gutta sibi reservata. Denique ipsos mortuos ad sepulturam deportavit. Similem caritatem et benefaciendi gratificandique studium singulare exhibuit Düsseldorpii, ubi in collegio S. I. ministri et procuratoris munere fungebatur. Cum enim P. Rector ei auferret concessam facultatem, magistris ex scholarum labore defatigatis nunc huic

Digitized by Google

nunc illi dandi haustulum vini, ipse, ne deesset, quod daret, sibi in prandio coenaque vinum subtraxit, ut aliis posset elargiri. Anno MDCXXII. cum aliquot patribus a duce Christiano ex collegio Paderbornensi abductus, multa fanda infandaque pertulit, et cum fame sitique in itineribus militaribus graviter affligerentur, passim, quoad licebat, stipem colligens circuibat, ut ceteri haberent, unde vitam sustinerent. Recuperata generoso ausu per Remondt urbe Paderbornensi anno MDCXLVI. milites Hassici supra septuaginta in custodia detinebantur, in quos summam exercuit misericordiam, ipsis Hassis admirantibus, cibum potumque mendicato conquisitum deferebat, stramen suis humeris deportabat; quin domi petita venia subinde ieiunabat, ut dandas sibi portiones aegris et sauciatis largiretur. Si vero cives difficiliores se in subveniendo miseris militibus praeberent, eo quod essent hostes, et prius nimis insolentes, ideoque ut canes habendos: his acri oratione et obiurgatione eleemosynas extorquebat; scirent inimicis benefaciendum, timerent vindictam divinam. Ita plenus caritate, ubicunque vixit, aegrorum et pauperum fuit patronus.

Ultimis vitae annis, cum prodire non posset, impetravit, ut saltem ad collegii portam obsonia dari solita egentibus distribueret, quos prius paucis exhortabatur, et flexis pariter genibus cum iisdem pro benefactoribus orabat. In complurium annorum ministerio omnino diligens et accuratus regularum observantiae ea cura intendens, ut nulli, qualis esset, spe immunitatis liceret regulam etiam minimam migrare aut negligere, maxime talem, quae ad totius communitatis pertinebat commodum, nihil connivens aut dissimulans, praecipue in domesticorum officiorum administratione ne aberraretur; unde timebatur et amabatur ab omnibus. Attendebat enim ne quid cuiquam deesset, saepius hos et illos rogando, num aliquo indigerent, an esset, quod a se peterent usibus suis necessarium; id dabat, curabatque, imo sponte sua offerebat, praesertim si quem forte putaret iniuncta poena suboffensum, ut bonum suum affectum demonstraret. Zelus animarum erat in eo insatiabilis; tum erga rudes catholicos, quem in extrema senectute vix potuit temperare. Cum enim firmare gressum non posset, P. rector magnatum quorundam monitu ipsum

Digitized by Google

domi manere iussit, ne crebris lapsibus sibi noceret, ipse debilitatem suam prae zelo non sentiens, precibus calidissimis, etiam supremi iudicii interpositu, superioris sententiam flectere conatus est: tum adversus haereticos, quorum conversionem et ore et calamo etiam in senio suo meditabatur, et per se et alios promovebat. Ideo magistros iuniores eodem manuducere et exstimulare solebat, suppeditatis etiam libris, unde controversiarum scientiam cum grammatica possent combibere. Postremis annis cum memoria vacillaret, socium se dedit magistris catechismum in pagis explicaturis. Si vero quempiam acatholicum in aut extra urbem cognovisset, tamdiu superiorem urgebat, dum patrum aliquem assignaret, quem ad convertendi instructionem comitaretur.

Erat praeterea paupertatis amor in eo incredibilis, quem omnis eius necessaria supellex loquebatur, nullus paene dignaretur adspectu, quae ipsi in quotidiano erant usu; uti perspicilia ex variis frustulis partim vitri, partim chartae pergamenae aut corio conglutinata. Hinc detrita amabat et eligebat, lacerata ipse sibi consuebat. In cibo, ne extremo quidem defectionis tempore, quidquam singulare voluit admittere, communibus semper contentus; si quid lautius daretur, id mistis amaris herbis ita temperabat, ut gustum falleret, omnemque saporem confunderet. Abstinentiam feriae quartae et sabbati semper rigide servavit. Flagelli usum et cilicii in ultimum usque mensem noluit dimittere. In exercitiis pietatis devotus et constans; postquam enim ad aram facere non licuit, in dies sacrum epulum sumpsit; deinde tertio tantum de hebdomade ei fuit concessum. Confessionem fere obivit quotidie. Meditationes, examina, horas semper de genibus persolvit; quin ipso die, quo vesperi sub septimam mortuus est, bina sacra flexis poplitibus audivit. Virginem matrem intimo amore prosequebatur, cuius officium in dies legebat, cuius cultum et venerationem ut promoveret, omnibus nervis contendit: sumptu bonorum hominum litanias lauretanas germanice excudit, rosaria coëmit, diversos modos hoc conficiendi, si nummi deficerent, funiculi nodatis aut perforatis ex congruente ligno bacillis excogitavit. Imo in eo multus fuit, ut montem verae pietatis ad comparanda rosaria institueret, ne unquam eorum

Digitized by Google

copia deforet, atque ita continua successione usus orandi introduceretur, inprimis inter agrestes, et de vitae Christi mysteriis doctrina conservaretur. In collegio Falkenhagensi aliquot annis, cum bellica tempestas his locis grassaretur, perstitit, licet multam miseriam sustineret, et saepe in vitae discrimen veniret, ne fides in rusticis deficeret, nec a milite nimium vexaretur aut exhauriretur, utrique malo conatus occurrere. Tandem collapsa memoria, viribus defectis, catharro oppressus, sacris munitus, plenus operum bonorum in domino obdormivit anno aetatis suae octogesimo tertio, Christi MDCLVIII., die XX. Maii sub horam septimam vespertinam, collegis raptim ex mensa exsurgentibus, et deo animam profecturam commendantibus.

Digitized by Google

VIII.

Ernestus Schelver,

soc. Iesu sacerdos.

Ernestus Schelver natus erat anno MDXCIV., parente opulento iuxta ac pio, magnisque muneribus in principis obsequio perfuncto. Societati Iesu deinde se dedit anno MDCXV., in eadem anno MDCXXXV. quatuor vota professus. Docuit Monasterii mansuetiores musas, et philosophiam externos et S. I. socios cum magno acris ingenii specimine. Egit in collegio Monasteriensi ministrum, et sedulum ad extremum usque aetatem in templo conscientiae arbitrum. Potissimam vero vitae partem curandis praediis bonisque administrandis, quae collegio Monasteriensi ipsius et consanguineorum munificentia obvenerant, impendit. Tandem catarrho apoplectico, qui saepe fuerat vicinae mortis anteambulo, magis obdormire, quam mori est visus die XIV. Octobris a. MDCLXVIII.

In laudem viri illius quidquid nos tandem dicemus, meritis erit inferius. Sane si bene qui latuit, bene vixit, optime ille vixit profecto, cuius unum votum et studium fuit, ut optime lateret; quisquis tamen vult rudem ideam illius aedificii, quod in animo illius ex fabrica virtutum assurrexit, ex fundamento profundissimae demissionis illud licebat metiri. Tantus erat sui suarumque rerum contemptor, ut cum per excellentis acumen ingenii posset in quasvis doctorum cathedras ascendere, tamen magis elegerit esse abiectus in domo dei, quam quidquam honorifici muneris admittere. Cum omnia sua suorumque fortunas et opes, quae iustam collegii fundationem

Digitized by Google

excedunt, deo et collegio Monasteriensi tribuisset, nihil sibi propterea tribuit, semper sibi minimus, imo nullus, cum esset maximus in oculis aliorum, dei praesertim; humilia in victu, vestitu, cubiculo, itinere quaeque ambivit, vilibus culinae ministeriis tam assidue adductus, ut etiam merito iis immortuus dicatur. Recusabat quidquid est laudi affine aut nomine honorificum; cumque fieret aliquando beneficiorum memoria, quae in societatem contulisset, „verborum multum, sed rei parum" cum lacrimis respondit. Adulta iam aetate minister collegii, rectoratum flexis genibus deprecatus fuit.

Paupertatem impense colebat. Cum adussisset precum canonicarum volumen, nescio quo casu, hinc ille pulcherrimam deprimendi sui occasionem venatus, praemissa accusatione suae incuriae per triclinium sub tempus mensae librum circumtulit, et omnibus collegis etiam clauso hoc libro praeclarissimum mirae demissionis exemplum mutus praelegit. Latendo se illa virtus in illo prodebat, quam semel Landgravius Hassiae in viro suspexit, cum in illum in via Trevirim versus incideret; postquam enim in rhedam diu multumque reluctantem compulisset, observavit ista virtutis indicia, quae postea cum insigni societatis encomio recensuit. Ita alienus erat ab iis rebus, quae corpori fovendo deserviunt, ut nec unquam admiserit, nedum petierit, ne tunc quidem cum gravis aetas exangue corpusculum aegre iam traheret. Solebat pedibus itinera conficere, quamdiu pedibus licebat insistere. Iam vero animo erat ita in rerum divinarum usu assiduo, ut suis cuncta temporibus expleret; evenitque aliquando, ut verni ieiunii tempore deferretur aegrotanti prandiolum, sed illud sumere non prius voluit, quam vesperas suas, quae mane tunc solent decurrere, cum socio suo recitasset. Christi patientis dolores crebra versabat memoria, voluitque in utroque sacello, quod piis nostrorum usibus in insulis et Liverdinga erexit, exstare expressa dolorum illorum insignia. Quam dure se ipsum habebat, tam liberaliter ut alii haberentur sollicite satagebat, nulli unquam molestus, de multis bene meritus, mercedem ut speramus amplissimam accepit.

Digitized by Google

IX.

Gerardus Rogerius,

soc. Iesu sacerdos.

Gerardus Rogerius natione fuit Westfalus, humili loco genitus, quem, ut in pluribus aliis videmus, insignis virtus non refugit. A parentibus haeresin Lutheranam imbiberat, quam magis ignorantia coluit, quam pravo animi affectu; sensit enim etiam tunc quosdam stimulos ad pietatem, et quosdam adversus vitium conscientiae acres motus. Vidit coelestis agricola terram bonam, atque illo decrevit transferre, ubi fructum ferret pro rata portione. Qua occasione transierit in Angliam, non narratur, sed inde cum navigasset anno saeculi decimo nono in Belgium, consuetudine videndi, quae catholica ubique ecclesia usurpat, tacito quodam impulsu trahitur non ad fidem tantum amplectendam, sed ad cogitationes de arctiore vitae genere suscipiendas. Et quoniam recens erat ex Anglia externus homo, ad exteros se applicans, petiit ut in societatem Iesu reciperetur.

Prodidit se confestim excellens ingenium cum candore animi non vulgari; nec deerat illi manus ad quidlibet ita habilis, ut magna facilitate multarum instrumenta artium tractaret. Sed longo intervallo naturae dotes divina superavit gratia, quam post annum admissus in societatem non sivit esse vacuam. Lectioni spiritualium librorum deditus, optimum dicebat se a parentibus patrimonium accepisse, quod ab iis sciret legere et scribere. Contigit autem, ut cum vitam s. Theresiae evolveret non cursim, sed more suo sensim et

Digitized by Google

per partes, divinae gratiae vim in illa perpendens, ad immutandum in instanti cor hominis in melius, tangi senserit suum, et occulto igne ita accendi, ut provolutus in genua exclamarit: Haec mutatio dexterae excelsi.

Ex quibusdam ab eo scriptis apparet, non fuisse vulgarem hunc animi motum; hunc enim appellat suae conversionis primum gradum, et vehementi affectu coelites universos invitat ad agendos deo super ea re gratias. Ex eo etiam tempore tanto ardore bellum in se suscepit, ut brevi victoriam consecutus dixerit: regulam de maiore sui ipsius abnegatione et continua mortificatione, cuius observantiam sibi alias impossibilem iudicaverat, videri facilem et iucundam. Praeferebat religiosum, qui cum animi fixo stabilique decreto sese abnegandi, accederet ad mensam opipare instructam, alteri qui sine eo pane se pasceret et aqua. Somnum importunum, ut qui inter diurnos etiam labores esset molestus, vincere statuit una hora detracta, quam orationi deinceps impenderet. Superbiam expugnabat commemorando frequenter parentis mendicitatem, et superioris vitae fortunam duriorem. Divinam voluntatem, cui se totum conformaverat, inveniri aiebat in re qualibet quantumvis difficili, ut in cortice nucleum, miserebaturque eorum, qui in eo haerent quod amarum est, neque mel norunt sugere de petra, oleumque de saxo durissimo: perinde enim illam suavem esse sive in monte Tabor, sive in Calvariae offerretur. Et quoniam in instituti sui regula dei beneplacitum impressum agnoscebat, triennio antequam moreretur, obtinuit a superiore ut promisso se obstringeret nullam deliberate transgrediendi, servavitque illaesum. Ut autem virtus virtutem generat et perficit, altero dein anno, ipso pentecostes festo die, vovit illud agere semper, quod esset perfectissimum; quod, ut de mense tantum in mensem obligaret, indulsit superior; quamquam deinde laxatum est hoc spatium et ad longius tempus prorogatum. Ad dei praesentiam facilius animo imprimendam, in rectore domus intuebatur deum patrem, in ministro filium, in confessario spiritum sanctum, in sacerdotibus apostolos, in reliquis discipulos septuaginta duos. Creaturas dicebat esse vestes dei, atque in iis amandum non aliter esse, quam cum amicum, dominum, parentem,

Digitized by Google

eodem affectu semper colimus, quantumvis varie indutum; et quemadmodum species sacramentales in venerabili nullam credenti moram ingerunt, quin mens tota feratur in absconditos sub eo velo thesauros, ita res creatae deum amantibus non auferunt, sed instar vehiculi ducunt iunguntque amato. Quo ex amore cum toleraret quaelibet, quae incommode illi accidebant, eam artem appellabat chymicam, cuius vi omnia in aurum spirituale verterentur.

His luminum ac virtutum incrementis triennio antequam de vita decederet illustratum (quaeque tum cum s. Theresiae vitam perlegisset, integri mensis spirituales exercitationes confirmaverant) pestilens febris occupavit; in ultima vero vitae parte superna luce tam magna perfusus est, ut adstanti sacerdoti attonitus dixerit, nunquam in omni vita simile sibi aliquid contigisse. Arrha fuerit, uti sperabatur, illius beatitudinis, ad quam secuta mors aperuit ianuam nono Septembris a. MDCXIII., aetatis anno trigesimo septimo, societatis decimo septimo, cum gradum coadiutoris temporalis formati sortitus esset ante triennium.

Digitized by Google

X.

Otto Cottenius,

soc. Iesu sacerdos.

Natus fuit Otto Cottenius Bucholdii, in oppido dioecesis Monasteriensis, parentibus honestis. Adolescens singulari modestia et vitae innocentia Monasterii olim societati insertus, exacto tirocinio tres annos in philosophiae, quatuor in theologiae studiis contente posuit. Praeter humaniores disciplinas octo annis eam theologiae partem, quae de moribus agit et conscientiae consulit, omnino pertractavit, delectusque insuper iam a multis annis, ob singularem pietatem fervoremque, qui in eo eluxit nunquam inter studia languescens, confessionarius S. I. sociorum primum Embricae, tum Monasterii; quo in officio exacti hominis religiosi exemplum dedit, identidem animo in res pias defixo, cibi somnique perinde parcissimus; nec quicquam corpori multis cauteriis perusto et vix inter tabidam macieque adstrictam cutem spiritum trahenti indulgere visus est, quam flagris assiduo divexare, inedia premere, genuum humi attritu afflictare, nullo fulcimine sedis fatiscentem pedem reclinis sublevare.

Pietatem eo combiberat gustu, ut vix aliis colloquiis animum interpellari sineret: quare et eos sevocabat sub publica relaxatione, quibuscum pios sermones misceret; et iis se libris involvebat, quorum lectione ferventius exardesceret. Ab ingressu societatis singulari desiderio animas igne purgante detentas in partem omnium suorum meritorum venire optabat; neque vana fuit ea multorum opinio, plurimas eius opem

Digitized by Google

reduces sollicitasse. Illud permirum quam sese suimet contemptu depresserit, maxime cum ei iam e vita migrandum fuit; quam prompte se ad nutum volentium conformarit; quam caute oculos substrinxerit, ne vel in plateis mensave curiosius emicarent.

Inter prandendum coenandumve totus lectione sacra absorptus erat. Ritus ecclesiae mire observans erat et disciplinae religiosae, ac paene quid dixerim hic exactius quam remissius a sese exigebat. Post quotidianum sacrificium minimum per quadrantem animum cum deo colligebat, quam pietatem ante sacrificium multo impendebat sollicitius. Licebit porro studium perfectionis ex sanctioris vitae propositis aestimare, quae scripto reliquit; ex quibus pauca ipsius verbis referemus: „Paupertas, humilitas, ignominia, contumelia, et quaecunque vitae asperitas in deliciis mihi erit, omnia mihi pro Christo meo detrimenta in lucris reponam. Si quo pacto illo non indignus reperiar, illorum omnium omne desiderium et affectum depono, amorique Christi pauperis et humilis summa paupertate et humilitate probare desidero: cibi, potus, victus curam omnem depono: attrita et lacera veste gaudebo; mittar utinam in eas regiones, ubi a latronibus despolier, verberibus onerer, plagis conficiar, frigore contrahar, nudus aestu torrear, inedia, siti, rerum omnium egestate dispeream, et tum hac tua imitatione Iesu Christe laetabor. Irruant in me dolores quivis; non sit a planta pedis usque ad verticem in me sanitas, et pariter in me omne morborum genus desaeviat: scateat vermibus purulenta caro: articuli omnes proprio sibi dolore vexentur, colicis et calculorum angoribus crucier, quies et somnus ab oculis fugiat, eosque caligo et caecitas contegat: lingua obmutescat: obsurdescant aures: nares gravis polypus occupet: distendatur doloribus diffusum caput: cor palpitet, anhelet pulmo, iecur aduratur, lapidescant renes, totius denique naturae compage vel dissoluta vel eversa. Da, domine Iesu, et me tibi vere virum dolorum et infirmitatum scientem et aliquam tui imitationem offerre possim."

„Si sexcenties exaggeratas divitias Salomonis, Sardanapali delicias, pulchritudinem Absalonis, robur Samsonis, Mathusalemi saecula mihi simul dederis, domine mi, omne id totum

Digitized by Google

tuae resigno voluntati, istorum nihil expeto, nisi quod animae meae saluti, tuae gloriae utile fore decreveris, fastus, opiniones hominum, gloriolas omnes in holocaustum summum deo meo sacrifico; quod aggredientur ceteri, bene cedat, laudentur et in ore hominum sint magni; quidquid aggressus fuero, careat exitu: de me plurimum semper taceatur, aut etiam mihi omnes obloquantur; non sit, qui blandius, honorifice, moderate alloquatur; quidquid egero, improbatur: sententia, opiniones, consilia improbantur, explodantur. Flocci fiam, negligar, superbus, ambitiosus, invidus, tranquillitatis perturbator existimer; confingantur in me crimina, terrarum odium, et diris omnibus devovendus habear; ut vel sic illi aliquo modo similis fiam, qui opprobrium hominum et abiectio plebis esse voluit. O si palam peccata mea edicere, si et libris editis, et toto orbe divulgare mihi liceat, perque meam ignominiam ad dei mei misericordiam laudibus extollendam aspirare concederer!"

His continuo affectibus ita aestuabat, quos longum est referre, ut sese in corpus et omnes sensus ille pietatis ardor effunderet, ac proinde omnium iudicio tam nostrorum quam externorum sanctus circumferebatur; in quo nemo nisi sanctorum virorum defectus et virtutes pariter observavit; quo factum est, ut viri in civitate principes eum sibi conscientiae moderatorem deligerent; ac tametsi iam vergente in mortem malo repentem vix templo pedem importaret, a tribunali tamen sacro avelli non potuit. Iam fatali lecto compositus, mortisque, quam ante semestre spatium non incerto pulsu acceperat, denuo certius, ut creditum est, factus certior, P. rectorem accensit, alio se iam evocari confirmat, ac proinde supremos illi amplexus offerre et petere, ne quid de se post obitum divulget, malle se conditum vitae transactae silentium, quam elatam laudibus memoriam, quando alia essent iudicia dei, alia hominum; ita placidissime in mortem profectus, sociis prandentibus, ad coelestes epulas subvehitur, anno MDCXXXV. postquam annos viginti quinque in societate, quatuor vota professus exegit.

Digitized by Google

XI.

Iodocus Maieringius,

soc. Iesu sacerdos.

Natus est Iodocus Maieringius in dioecesis Osnabrugensis vico Mellen. Iuvenili dein aetate societatem ingressus, gradum in ea coadiutoris spiritualis consecutus est. Volitabant impune per ea tempora toto imperio Suecorum arma, quorum auspiciis Otto Rheingravius, acer cum primis haereticus, Rubeacum, Alsatiae oppidum, arcta obsidione, ne quidquam animose propugnantibus Caesarianis premebat, violento denique assultu post tridui impressionem urbe potitus XV. Febr. anno MDCCXXXIV.

Versabatur eo tempore Rubeaci paulo ante officio rectoris Hagenoae defunctus P. Iodocus, una cum duobus fratribus, Ioanne Ascerman et Andrea Martini, quoque tempore urbs expugnabatur, coram venerabili sacramento in templo principe prostrati, una cum Ioanne Hornio, loci parocho, et aliis septem sacerdotibus, precationi intendebant. Trucidatis per domos et urbis plateas passim obviis, ad templum eodem tenore ventum est, ac multo sanguine per confertum intus populum facta via ad ipsam usque aram, ubi genibus illi nixi deum ardenter in auxilium vocabant. Hic vero ubi Iesuitas adesse conspicati sunt, continuo magno furore involare, onerare convitiis, mox etiam vi ac manu rem gerere, voce ferali insultare: *Prodite nebulones sacrificuli, et vos in primis mortalium pessimi, Iesuitae, malorum omnium inventores, in pestem et exitium orbis nati!*

Digitized by Google

Prima militum procella in P. Iodocum desaeviit, cui obverso sclopeto graviter aliquot ictibus concussum caput: ipse semianimis in terram concidit. Nec dubitabant omnes eodem loci moriendum sibi esse, ideoque excipiendis sive ensibus, sive bombardarum ictibus, flexo humi poplite sese aptabant, nisi decurionum unus exquirendam prius Ottonis sententiam, ne quid praecipitanter fieret, censuisset: disponente in bonum suorum suaviter deo, ut sedato iam a furiis animo innocentissimis sacerdotibus nex conscita constaret non alia causa, quam religionis et ordinis odio inferri. Itaque palliis et rebus omnibus in vestigio despoliatos, templo educunt, inque civicam curiam pertractos angusto loco omnes simul concludunt; ubi longo plurium horarum spatio, donec domus omnes expilatae et civitas direpta foret, haeserunt.

Rediit posthaec, qui exploratum Ottonis, acerrimi inter paucos catholici nominis ac Iesuitarum hostis, sententiam abierat, *Et vobis*, inquit, *nebulones funestus venio nuncius. Moriendum omnibus est. Vos vestram nunc Mariam invocetis licet, visuri quid opis adferre hoc articulo possit.* Quibus non segniter magna devotione illam et Iesum, ut suprema hora sibi adforent, cientibus, ille procaciter insultans: *Non audit*, inquit, *altius clamandum est, et licet audierit, auxiliari tamen non potest.* Moxque ipse contensiosius exclamans: *Sancta Maria,* quae tessera illi cum militibus ante fores praestolantibus convenerat, signum inferendae necis exhibuit. Quo accepto irrumpentes milites in proximos quosque ferro desaeviunt, et P. Iodoco graviter in capite sauciato, coxendicem gladiis punctim confodiunt. Magno hic ille et praesente semper animo ad patientiam hortari alios, et spem beatitudinis ingerere, donec a tergo insiliens aliquis sicam ei ad pectus usque adegit, quo vulnere exanimatus, sanctissima nomina ingeminans, super Ioannem Ascerman moribundus concidit; diffissoque deinde post horam capite ad palmam martyris cum aliis evolavit, anno MDCXXXIV.

Digitized by Google

Index.

Pag.

Prooemium V

I. **S. Hildegarius,** archiepiscopus Coloniensis 1
II. **S. Suibertus,** Frisionum episcopus Saxonumque apostolus 3
III. **Sancti Ewaldi,** martyres 11
IV. **S. Lebuinus,** Frisiorum et Westfalorum apostolus . . . 19
V. **S. Felix,** martyr, monachus Frideslariensis 31
VI. **S. Sturmus,** abbas Fuldensis, Paderbornensium apostolus 33
VII. **S. Ludgerus,** primus Monasteriensis episcopus et Westfalorum Frisiorumque apostolus 56
VIII. **S. Heriburga,** virgo, soror s. Ludgeri 75
IX. **S. Wiho,** primus episcopus Osnabrugensis 78
X. **S. Hercumbertus,** primus episcopus Mindensis 81
XI. **S. Ida** 84
XII. **B. Bertgerus,** presbyter, sacellanus s. Idae 94
XIII. **B. Gerfridus,** s. Ludgeri nepos, secundus episcopus Monasteriensis 97
XIV. **B. Thiatgrimus,** episcopus Halberstadiensis 100
XV. **S. Meimelphus,** ecclesiae Mindensis diaconus et confessor 102
XVI. **B. Altfridus,** tertius episcopus Monasteriensis 103
XVII. **B. Hardwardus,** episcopus Mindensis secundus 108
XVIII. **B. Geva,** fundatrix collegii et ecclesiae Freckenhorstensis 110
XIX. **S. Gosbertus,** quartus episcopus Osnabrugensis . . . 116
XX. **S. Helmwardus,** decimus episcopus Mindensis 123
XXI. **B. Suitgerus** sive **Swederus,** undecimus Monast. episcopus 125
XXII. **S. Heimeradus,** presbyter 128
XXIII. **B. Druthmarus,** abbas Corbeiensis 139
XXIV. **S. Bardo,** abbas Werthinensis, deinde archiepiscopus Moguntinus 143
XXV. **S. Paternus,** monachus Abdinghofensis 153
XXVI. **B. Theophania,** abbatissa Essendiensis 156
XXVII. **B. Imadus,** episcopus Paderbornensis 160

Digitized by Google

XXVIII. **S. Benno II.**, episcopus Osnabrugensis XVIII. . . . 163
XXIX. **S. Erpho**, episcopus Monasteriensis decimus septimus 168
XXX. **B. Amo**, aliis **Amanio**, monachus Abdinghoffensis . 175
XXXI. **B. Hermannus**, clericus et martyr Susatensis . . . 178
XXXII. **S. Thietmarus**, episcopus Mindensis XXVII. . . . 182
XXXIII. **B. Hermannus**, comes et praepositus quartus Cappenbergensis 185
XXXIV. **S. Adolphus**, episcopus Osnabrugensis vicesimus octavus 188
XXXV. **B. Reynerus**, solitarius Osnabrugensis 192
XXXVI. **S. Meinwercus**, episcopus Paderbornensis decimus . 196

Vitae virorum venerabilium.

I. **Ioannes Sewaldi**, prior Boedecensis 197
II. **Casparus Ulenbergius**, Lippstadiensis 200
III. **Ioannes Scoeperus**, Tremoniensis 201
IV. **Ioannes Gropperus**, Susatensis, Cardinalis 202
V. **Ioannes Arnoldi**, Warburgensis, soc. Iesu sacerdos . 205
VI. **Mauritius de Büren**, soc. Iesu 207
VII. **Iodocus Thorwesten**, soc. Iesu sacerdos 211
VIII. **Ernestus Schelver**, soc. Iesu sacerdos 215
IX. **Gerardus Rogerius**, soc. Iesu sacerdos 217
X. **Otto Cottenius**, soc. Iesu sacerdos 220
XI. **Iodocus Meieringius**, soc. Iesu sacerdos 223

Digitized by Google

Digitized by Google

In demselben Verlage ist ferner erschienen:

Philosophische
Studien über das Christenthum

von

August Nicolas,

Friedensrichter und ehemaligem Rechtsanwalt am königlichen Gerichtshofe zu Bordeaux.

Nach der 7. Auflage in's Deutsche übersetzt

von

Sylvester Hester,

Inspector der Rheinischen Ritter-Akademie zu Bedburg.

4 Bände. geh. 3 Thlr.

Von demselben Verfasser ist ferner erschienen:

Das Verhältniß
des Protestantismus und aller Häresien
zum Socialismus.

Aus dem Französischen übersetzt und mit einem Anhange, enthaltend „die Entwicklung des Protestantismus in Deutschland" vermehrt.

Von einem Priester der Diöcese Paderborn.

36½ Bogen. geh. 1 Thlr.

Druck von C. E. Elbert in Leipzig.

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 017 608 654

Digitized by Google